

72

[Faint, illegible handwritten marks]

Vg
2738

56




Obss.

1. Vin rustan labruisfen Auslagen von
 drisnu Duse von 1521 bis 1533, sou-
 dely abur in rusta Githubrogor
 Aufgab 1521. Konna suse sretou
 vor. Hoy wenigst aber di Ite-
 lianische Ubersetzung, di ofen Mal,
 dring wo orth nur dordos unter
 dem Titel: I principi della Theolo-
 gia di Ipposilo da Terracena
 con gratia & privilegio voruntlich
 in Venedig bey dem Markus 1534
 forwart gelouren. vid. O. B. Kausisch
 von dem suse sretou Duse der
 Hypothese Melanckthons in
 Hal. Praxen in Vin Miscell. Lip.
 nov. P. IV.

In der
 Auction
 vom 1827
 v. Catalog. 136. 71. no. 2473.

In primis illis editionibus vix quom occurrunt, quod
 cum analogia fidei dissentiat, si unum illud excipias,
 quod tunc temporis Philippus excipit, sed simpliciter
 necessario evenire. Loca huc spectantia
 vide fol. viii. a. fol. ix. a & b. sic autem: *ad Erasmodum*

3.1 Lutherus de seruo arbitrio ita: Superua-
 caneum videtur respondere istis argumen-
 tis suis, antea a me quoque toties confuta-
 tis, concultatis vero & prorsus prohibitis per
 Philippum Melanckthonis de locis theo-
 logicis inuictum libellum, meo iudicio
 non solum immortalitate, sed canone quoque
 ecclesiastico dignum. vid. P. M. Jen. lat. f. 105.



THEOLOGICAE
HYPOTYPOSES.

RECOGNITAE AB
AVCTORE.


VVITTEMBERGAE.

Prima editio ab auctore recognita.
XVII, 456. (1522) Poethe

IVXTA PIO ATQVE ERVDI-
TO VIRO D. TILOMANO
PLETTENERO PH.
MEL. S.



ANNO superiore, Paulinam
Epistolam quæ Romanis
in scripta est, enarraturi cõ-
munissimos rerũ theologi-
carũ locos adeoq; illius Epi-
stolæ farraginem ceu me-
thodica ratiõe digessimus.
Quæ lucubratiuncula cū in
hoc tantum esset parata, vt
Paulinæ disputationis argumentũ καὶ ἑλεγχον
quã pinguisime tuis indicaret, quos priuatim do-
cebamus, tamen nescio a quibus euulgari cepit,
quorũ mihi, quicunq; tandem publicauerunt,
studium magis, quã iudicium probatur, nempe
q̃ ita scripsissem, vt sine Pauli Epistola, non satis
intelligi posset, quid in toto opere secutus essem.
Nunc, quia mihi nõ est in manu libellum, prope
modum publici iuris factum premere, visum est
recognoscere ac sub incudem reuocare, desidera-
bant enim pleraq; accuratiorem disputationem,
pleraq; etiam, limam. Porro, quod ad argumẽti
summã attinet, indicantur hic Christianæ disci-
plinæ præcipui loci, vnde cognoscat iuuentus, &
quæ sint in scripturis potissimũ requirẽda, et quã
fæde hallucinati sint vbiq; in re theologica, qui
nobis pro Christi doctrina Aristotelicas argu-



etas prodidere. Parce vero ac breuiter omnia tra-
 ctamus, q̄ indicis magis, quā commentarij vice
 fungimur, dum nomenclaturam tantū facimus
 locorum, ad quos veluti diuertendū est errantē
 per diuina volumina, dum paucis tantum ver-
 bis monemus e quibus summa Christianæ do-
 ctrinæ pendeat. Non hoc ago, vt ad obscuras ali-
 quas & impeditas disputationes a scripturis au-
 cem studiosos, sed vt, si quos queam, ad scriptu-
 ras inuitem. Nam in vniuersum non admodum
 æquus sum commentarijs, ne veterum quidem,
 tantum abest, vt vllō meo longiore scripto ve-
 lim quenquā a canonicæ scripturæ studio retra-
 here. Immo nihil perinde optarim, atq; si fieri po-
 sset, Christianos omneis in solis diuinis literis li-
 berrime versari, & in illarū indolem plane trans-
 formari. Nam cū in illis absolutissimam sui ima-
 ginem expresserit diuinitas, non poterit aliunde,
 neq; certius, neq; propius cognosci. Fallit quisq;
 aliunde christianismi formam petit, quā e scrip-
 tura Canonica. Quantū.n. ab huius puritate ab-
 sunt cōmentarij? In hac nihil reperias non augu-
 stum, in illis, quā multa quæ a philosophia, ab
 humanæ rationis æstimatione pendent, quæ cū
 iudicio spiritus prorsus ex diametro pugnant. Nō
 sic detriuerant τὸ ψυχικὸς scriptores, vt nihil nisi
 πνευματικὰ spirarent. Ex Origene, si tollas, in-
 concinnas allegorias, & philosophicarum senten-
 tiarum syluam, quantulum erit reliquum? Et ta-
 men hunc auctorem magno consensu sequuntur
 Græci, & ex latinis, qui videntur esse columnæ,
 Ambrosius & Hieronymus. Post hos fere quo-
 quisq; recentior est, eo est insincerior, degenera-

D
uitque tandem disciplina Christiana in scholasticas
nugas, de quibus dubites, impiae magis sint, an
stultae. Breuiter fieri nequit, quin cauto etiam
lectori saepe imponant humana scripta. Quod si
omnino propheta & adflatus quidam est, cog-
nitio sacrarum rerum, cur non hoc literarum ge-
nus amplectimur, per quod illabitur spiritus. An
non omnia sui sermonis opera deus efficit? Mul-
ta enim docebit scripturarum usu spiritus, seu ut
Iohannes ait, unctio, quae quantavis humani in-
genij industria, non queat adsequi. Nos certe non
aliud agimus, quam ut eorum qui in scripturis ver-
fari volent, studia utcumque iuueamus. Id si non
videbitur prestare libellus, pereat sane, nihil. n.
mea referre censeo, quid de publico opere pub-
lice iudicetur.

LOCI COMMUNES SEU
Hypotyposes theologiae.

F
REQ VIRI solent in singulis artibus
loci quidam, quibus cuiusque summa com-
prehenditur, qui scopi vice, ad quae
omnia studia dirigamus, habent. Quod
in theologia veteres quoque secutos videmus, par-
ce quidem ac sobrie. Ex recentioribus vero Da-
mascenum ac Longobardum, inepte utrumque.
Nimium. n. philosophatur Damascenus, Longo-
bardus congerere hominum opiniones quam scrip-
turae sententiam referre maluit. Et quanquam no-
lim immorari studiosos, ut antea dixi, hoc genus
summum, tamen prope necessarium duco indicare
saltem e quibus locis rerum summa pendeat, ut
quorsum dirigenda sunt studia intellegatur.

Sunt autem rerū theologicarum hæc fere capita.

Deus
 Vnus
 Trinus
 Creatio
 Homo, Hominis vires.
 Peccatum
 Fructus peccati, Vicia,
 Pœnæ
 Lex
 Promissiones,
 Instauration per Christum,
 Gratia
 Gratiæ fructus
 Fides
 Spes
 Caritas
 Prædestinatio
 Signa sacramentalia
 Hominum status
 Magistratus
 Episcopi
 Condemnatio
 Beatitudo.

In his vt quidā prorsus incōprehensibiles sunt,
 ita rursus sunt quidā, quos vniuerso vulgo Chri-
 stianorum compertissimos esse Christus voluit.
 Mysteria diuinitatis rectius adorauerimus, quā
 vestigauerimus. Immo sine magno periculo ten-
 tari nō possunt, id quod non raro sancti viri etiā
 sunt experti. Et carne filiū deus Opt. Max. induit,
 vt nos a cōtemplatione maiestatis suæ ad carnis,
 adeoq; imbecilitatis nræ cōtēplationē inuitaret.

Quorū cog-
nitio Chri-
stiano nece-
saria.

Sic & Paulus ad Corinthios scribit, deū per stul-
titiā prædicationis, nimirū noua ratione uelle
cognosci, cum non potuerit cognosci in sapientia,
per sapientiam. Proinde non est cur multū opere
ponamus in locis illis supremis, de deo, de uni-
tate, de trinitate dei, de mysterio creationis, de
modo incarnationis. Quæso te quid adsecuti sunt
iam tot seculis scholastici Theologistæ, cum in
his locis solis versarentur? Nonne in disceptatio-
nibus suis, ut ille ait, vani facti sunt, dum tota
uita nugantur de uniuersalibus, formalitatibus,
connotatis, & nescio quibus alijs inanibus voca-
bulis, & dissimulari eorum stultitia posset, nisi
Euangelium interim & beneficia Christi obscura-
ssent nobis illæ stultæ disputatiōes. Iam si libeat
ingenioso mihi esse in re nō necessaria, facile quæ-
euertere quæcunq; pro fidei dogmatis argumen-
ta e philosophia produxerūt, & in his quā multa
rectius pro hæresibus quibusdam facere uident,
quā pro catholicis dogmatis. Reliquos uero lo-
cos, peccati uim, legē, gratiā, qui ignorarit, nō
video quomodo Christianū uocem, nam ex his
proprie Christus cognoscitur, siquidem hoc est
Christum cognoscere, beneficia eius cognoscere,
non, quod isti docent, eius naturas, modos incar-
nationis contueri, Ni scias in quem uisum carnem
induerit, & cruci adfixus sit Christus, quid pro-
derit eius historiam nouisse? An uero medico sa-
tis est nouisse herbarum figuras, colores, linia-
menta, uim scire natiuam nihil refert? Ita Chri-
stum, qui nobis remedij, & ut scripturæ uerbo
utatur, salutaris uice donatus est, oportet alio quo-
dam modo cognoscamus, quam exhibent scho-

DE LIB. ARB. FO. III.

Iastici. Hæc demum Christiana cognitio est, sci-
re quid lex poscat. vnde faciendæ legis vim,
vnde peccati gratiam petas, quomodo labescen-
tem animū aduersus demonem, carnem, & mun-
dum erigas, quomodo afflictam conscientiam
consoleris. Scilicet ista docent scholastici? Paulus
in Epistola quā Romanis dicauit, cum doctrinæ
Christianæ Compendium conscriberet, num de
mysterijs trinitatis, de modo incarnationis, de
creatione actiua, & creatione passiua philoso-
phabatur? At quid agit? certe de lege, peccato, gra-
tia, e quibus locis solis Christi cognitio pendet.
Quoties Paulus optare se testatur fidelibus lo-
cupletem Christi cognitionem. Præuidebat enī
fore, vt relictis salutaribus locis, animos conuer-
teremus ad frigidas & alienas a Christo disputa-
tiones. Itaq; nos aliquam delineabimus eorū lo-
corum rationem qui Christum tibi cōmendent,
qui conscientiam confirmant, qui animum aduer-
sus Satanam erigant. Pleriq; locos virtutum &
vicioꝝ tantum in scripturis requirunt, sed ea
obseruatio philosophica magis est, quā Christia-
na. Quod cur ita dicam, paulo post intelliges.

DE HOMINIS VIRIBVS,

adeoq; de libero arbitrio.

SCRIPSERE de libero arbitrio Au-
gustinus & Bernardus, & ille quidē sua
posterioribus libris quos aduersus Pela-
gianos edidit, multipliciter retractauit.
Bernardus non est similis sui. Sunt hac de re etiam
apud græcos quædam sed sparsim. Ego, quando
quidem non sequar hominum opiniones, & sim-
plicissime & planissime rem exponam, quā fere

A iij

DE LIBERO

obscurarunt autores tum veteres tum noui, quia sic interpretabantur scripturas, vt simul vellent tamen rationis humanæ iudicio satisfieri. Parum ciuile videbatur docere, necessario peccare hominem, crudele videbatur, reprehendi voluntatē, si non posset se a vicio ad virtutem conuertere. Ideo & plura viribus humanis, quam par erat, tribuere, & mire variarunt cum rationis iudicio viderent vbiq; refragari scripturas. Et in hoc quidem loco, cum prorsus Christiana doctrina a philosophia, & humana ratione dissentiat, tamen sensim irrepsit philosophia in Christianismum, & receptum est impium de libero arbitrio dogma, & obscurata Christi beneficentia per prophanam illam & animalem rationis nostræ sapientiam. Usurpata est vox liberi arbitrii, a diuinis literis, a sensu & iudicio spiritus alienissima, qua videmus sanctos viros non raro offensos esse. Additum est e Platonis philosophia vocabulum Rationis æque perniciosum. Nam perinde atq; his posterioribus Ecclesiæ temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ita statim post ecclesiæ auspicia per Platoniam philosophiam Christiana doctrina labefactata est. Ita factum est, vt præter Canonicas scripturas nullæ sint in ecclesia sinceræ literæ. Redolet philosophiam, quidquid omnino commentariorum extant.

Vox liberi
arbitrii.

Duæ homi-
nis partes In
tellectus &
voluntas.

Ac primum quidem in describenda hominis natura non habemus opus multiplicibus philosophorum partitionibus. Sed paucis in duo partimur hominem. Est enim in eo vis cognoscendi, est & vis qua vel persequitur, vel refugit, quæ

cognouit. Vis cognoscendi, est qua sentimus, aut intelligimus, ratiocinamur, alia cum alijs comparamus, aliud ex alio colligimus. Vis e qua adfectus oriuntur, est qua aut auersamur, aut persequimur cognita, hanc vim alias voluntatem, alias adfectum, alias appetitum nominant. Non puto magnopere referre, hoc loco separare sensus ab intellectu, quem vocant, & adpetitum sensuum, ab adpetitu superiore. Nos enim de superiore loquimur, hoc est, non modo de eo in quo fames, sitis, & similes brutorum adfectus sunt, sed de eo in quo amor, odium, spes, metus, tristitia, ira, & qui ex his nascuntur affectus insunt, ipsi voluntatem vocant.

Sic mihi pinguiissime discerni partes hominis posse videntur. Ceterum nomenclatura partium variat, Aristotelicum vulgus intellectum & voluntatem vocat. Theologi quidam veteres, voluntatem, cum consilio intellectus coniunctam, liberum arbitrium nuncupauere, petito & hoc ab Aristotelicis vocabulo, volueruntque penes voluntatem regnum esse, Intellectum prospicere, consulere, monere, quæ videtur, adeoque seruire voluntati. Rursum Platonici vocarunt Rationem intellectum coniunctum cum voluntate, ita ut priores tribuantur intellectui, qui voluntatem in officio contineat. Nos neque liberi arbitrii neque rationis nomine vtemur, ne qua ἀμφιβολία lectorem moremur. Est autem hoc loco potissimum spectandum, quatenus intellectus vis, qua genus voluntatis impetus pateat.

DE LIBERO

Primum ergo sic censemus, intellectum humanum pro natura sua nihil intelligere, nisi carnalia. Boni & mali nullum discrimen cernit intellectus, nisi carnale. Mala esse iudicat mortem, inopiam, ignominiam. Bona, vitam, opes, gloriam. Esse deum, misericordiam, iram dei ne utiquam intelligit. Id quod Paulus testatur. i. Corinth. ij. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. Stultitia, n. est ei, & non potest cognoscere, q̄ spiritualiter diiudicentur. Et Psal. xij. Dixit insipiens in corde suo, non est deus &c. Est ergo in solidum ignorans dei, & voluntatis diuinæ humanus intellectus. In alijs rebus quatenus humana ratiocinatio perueniat, nemo non cernit. De diuinarum rerum cognitione sic habet res, Intellectum ignorare deum deique tum potentiam tum voluntatem, misericordiam & iram, etiam si perpetuo doceatur, vt legas, relegas, voluas, reuoltras, audias, doceas omnes sacros libros, & scriptores perpetuo, tamen intellectus nunquam credet esse deum, esse misericordem aut iustum. Verba audis, & per hypocrisin sermonem spiritus imitaris, re ipsa ignoras & pro fabula habes. Profunda cæcitas humana est, vt recte dixerit Hieremias, prauum esse cor hominis & inscrutabile, quare non est, quod secundum carnem hæc æstimes, quæ dixi. Et quæ de intellectu scripsi, eadem de voluntate sentio. Sicut. n. nihil cernit intellectus, nisi carnalia, spiritualium prorsus ignorans, ita nihil adfectat voluntas, præter carnalia bona, vitam, opes, gloriam, bonam valetudinem, &c. nihil fugit præter mala carnalia, mortem, inopiam, ignominiam, aduersam valetudinem &c.

ARBITRIO. FO. VI.

Deum nec amat, nec metuit. Vides quantū possint intellectus & voluntas, secundum naturā. Ex quibus iudicari facile potest, quid de libero arbitrio, de humanis meritis sentiendum sit. Sed ea nos postea latius. Hic satis sit utrunque naturam hominis indicasse. Et ut hanc veluti Coronidem adijciamus, Quod nos intellectum, quatenus moderatur voluntatem, seu iudicium, seu æstimationem rerū vocamus, Scriptura fere lumen νοῦν & φρόνημα adpellat, Quod nos voluntatem, scriptura fere cor nuncupat. Quæ loquendi ratio utinam durasset in scholis Christianorum. Mire. n. obscurant disputationem de hominis natura Aristotelica illa vocabula, voluntas, appetitus, actus elicitus, intellectus agens, intellectus passibilis. Porro quando scriptura de lumine carnis, quando de lumine spiritus loquatur, Nam utriusque tribuit lumen, νοῦν, φρόνημα, & cor, nullo negotio suo loco deprehendes. Carnale iudicium lumen vocat Matth. vi. Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Roma. viij. confert Paulus φρόνημα carnis cum iudicio spiritus, e quo loco vires hominis facile colligas. Huiusmodi multa per sese diligens lector observabit, De natura hominis, deque adpellationibus virium humanarum Græci multa nugati sunt, Nos simplicissime rem indicauimus.

Et cum huiusmodi sint vires humanæ, quæri solet, num qua sit libertas in voluntate humana, Nam ad eam partem proprie pertinere libertatem volunt.

A

b

DE LIBERO

Quod vt simplicius excutiamus de natura hominis primum, postea de diuina prædeterminatione dicemus.

I Primum videtur esse iuxta naturæ iudiciū, quædam in externis hominum operibus libertas. Experiris enim in potestate tua esse salutare amicum, aut non salutare, hac vel illa veste indui, vesci carnibus, aut non vesci. Et huiusmodi externa opera voluntas alias alia de causa imperat, alias per simulationē, alias vere agens quod sentit. Et in hanc externorum operum contingentiam, vt illi vocant, defixerunt oculos Sophistæ, qui libertatē voluntati tribuere. Verū quia deus externa opera non respicit, est. n. κατὰ τὸ νόησις, sed internos cordis motus, ideo scriptura nihili facit hanc libertatem. Qui externa & personata quadam ciuilitate mores fingunt, philosophi & recentiores theologi, huiusmodi libertatē docent.

II Ergo cū de libertate quæritur, non hoc tantū quæritur, possit ne subinde aliud imperare extrinsecus, aliud subinde simulare externo opere, sed hoc potius in quæstionem vocatur, Sit ne in potestate voluntatis, amare, vel odisse quiduis, sumere amorem, ponere amorem cuiusuis rei. Nā voluntatem voco, id quod vere est, vim qua vere affectamus, aut fastidimus ea quæ cognouimus, quidquid interim externo opere simulet, scriptura cor vocat, sophistæ delectum rerum in externis operibus vocauerunt, qui fere mendax est. Nos de vero & genuino voluntatis opere, quod adfectus internus est, quærimus. Sicut fieri potest, vt aliud lingua loquatur, quā sentit intellectus, ita fieri potest vt aliud opere quocunq;

externo similes, quā quod adfectus cordis tui,
quod vere voluntas est. ardet.

De sublimioribus adfectibus, sic censeo, quod **III**
sicut intellectus in solidum per naturam est igno-
rans dei, & vt perpetuo doceatur, nō credit ver-
bo dei, per suum lumen, ita voluntas nec amare,
nec metuere deum possit. Hic experientiam cu-
iusuis adpellare possem, si nō patrocinarēt mihi
scriptura. Roma. iij. Omnes vacui sunt gloria dei.
Et. viij. Adfectus carnis inimicitia est aduersus
deum, & legi dei subijci non potest. Hæc infra la-
tius, vbi de peccato originali disseremus. Simu-
lari externa opera legis videmus. Atqui lex fidē
amorem & timorem postulat, Diliges deum ex
toto corde. & non ait, simula sacrificium, elele-
mosynam, &c. Proinde cum tanta sit in lumine
naturæ cæcitas, cum talis ignoratio dei, rerumq;
diuinarum, cum in voluntate tantus sit contemp-
tus dei, quæ est hominis libertas? Vitam, incolu-
mitatem, tranquillitatem suam amat voluntas
humana, iuxta Paulū, Caro querit quæ sua sunt.
Quomodo igitur amabit deū, vbi sentiet aliquan-
do iudicē, vbi occidet, vbi dānabit deus. Quæ so-
hic diligere deū natura potest? Frustra ne dictū
putas? deum ignem esse consumentem. Et apud
prophetas, Sileat a conspectu dei omnis caro.

Quid si respicias adfectus carnales? nam **III**
nec in his libertas est. Tui amorem, vitæ, incolu-
mitatis tuæ amorem, metum mortis, odium
eorum qui te insigniter leserunt, quomodo quæ-
so pones? Querit enim caro, quæ sua sunt. Nam
de tota hominis natura, deque optima eius par-
te loqui Apostolum, paulo post ostendemus.

DE LIBERO

Et hic mihi experientia & cōmunis sensus suffragatur. Sicut. n. lumen naturæ inter bona hominis hæc potissimū numerat vitam, voluptates, gloriam, ita voluntas hæc tantum adfectat, odit omnia quæ aduersantur, adeoq; deum mortificantē hanc carnem. Iam experientia vsuq; discimus nullius rei amorem aut odium, sumi vel poni posse. Puellam amas, vt sexcenties cogites apud te. Porro neglecturum eam, frigida & ficta cogitatio intellectus est, non voluntatis decretum. Nā aduersus seipsam non potest cor statuere. Odisti inimicum, inuides inimico quidpiam, vt sexcenties cogites, te rediturum cum eo in gratiam, frigida & ficta cogitatio est, donec potior adfectus hunc adfectum vicerit. Nam amor nostri, summus adfectus, est aliorum adfectuū ceu amissis quædam. Tantisper amas alterum, donec ledit, vbi leserit, tantisper odisti, donec insigni beneficio te rursus demeretur. Breuiter bellua multorum capitum est, cor humanum, prauum & inscrutabile, vt Hieremias inquit.

Fieri autem potest, vt præter & contra adfectum deligatur opus externum, vt fieri potest, vt aliud loquere, quā quod intellectus sentit. Sed cum deligitur opus externum contra adfectum, fere fit, vt infirmior adfectus potiore vincatur. vt negari non potest, quin voluptates amet Macedo Alexander, tamen quia gloriam vehementius ardet, deligit laborē, voluptates adspernat, non q; eas odio habeat, sed q; gloriam magis ardeat. Videmus alios adfectus in alijs regnare, sua quæq; trahi cupidine. In sordidis ingenijs dominatur habendi cupiditas, in liberalioribus, iuxta

hominum iudicium, famæ & popularis gratiæ studiū. Imperabar linguæ & oculis Ioab, vt blandirentur Amasæ, cordi, ne odisset, imperare non potuit. Ex his intelligis insanire, qui pœnitentias attritiones, & bona proposita fingi docuerunt, cum non possit adfectū sumere caro, aut ponere.

Iam vbi paulo vehementior adfectus est, sic **VI**ri non potest, vt perpetuo coherceatur. Erumpet aliquando, & pariet opus suum, vt Christus ait Phariseis. Quomodo potestis bene loqui cū sitis mali. Nunquā adfectus perpetuo dissimulari potest. Naturam licet expellas furca, tamen vsq; recurret. Ita vides delectū etiam externorū operū non satis liberum esse. Sed nos de operibus nihil disputamus, sed de cordis adfectibus.

Hæc de natura diximus, quæ fere experientia sine me docet. Et plena testimonijs scriptura est, quæ ostendunt, hominem nihil sapere, nihil velle, nisi carnalia, deum ignorare, contemnere &c. Habes Paulum Roma. viij. & i. Corinth. ij. Non adscendit in cor hominis &c. Item, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Et Io han. iij. Quod natum est ex carne caro est. Nullā igitur libertatem esse voluntati humanæ, in sumendis vel ponendis spiritualibus adfectibus, amore, metu dei, fide, spe &c. perspicuum est. Nam carnales nihil moror, quanquā neq; in his libera est.

Postremo libertatem, homini adimit diuina **VII** prædestinatio. Eueniunt enim omnia iuxta diuinam prædestinationem, cum externa opera, tum internæ cogitationes, in omnibus creaturis. Ad Ephes. i. Qui operatur omnia secundum consiliū

DE LIBERO

voluntatis suæ Matth. x. nonne duo passeress affe-
 veneunt & vnus ex illis non cadet super terram
 sine patre vestro.

Obsecro quid hac sententia clarius dici potuit?
 Prouerb. xvi. Vniuersa propter semetipsum ope-
 ratus est dominus, impium quoq; ad diem ma-
 lum. Et rursus. xx. A domino diriguntur gressus
 viri, quis autem hominum potest intelligere viã
 suam. Rursus. xvi. Cor hominis disponit viam
 suam, dominus autem dirigit gressus eius. Hiere.
 x. Scio domine, q̄ non est hominis via eius, nec
 viri est, vt dirigat gressus suos. Præterea idem
 docent diuinæ historiæ, Gene, xv. Nec dum com-
 pletæ sunt iniquitates amorreorum, In secundo
 capite primi libri Regum. Et non audierunt vo-
 cem patris sui, quia voluit dominus occidere eos.
 Quid similius casui fortuito, quam q̄ Saul abiit,
 quæsiturus asinas, & vngitur a Samuele, inau-
 guraturq; regno. Rursus in primo regnorum,
 cap. x. abiit cum Saule pars exercitus, quorum te-
 tegerat corda deus. In tertio regnorum, cap. xij. nõ
 acquieuit rex populo, quoniam auersatus fuerat
 eum dominus, vt suscitaret verbum suum, quod
 locutus fuerat in manu Ahiaë Silonitæ ad Hiero-
 boam filium Nabath. Et quid aliud in nono ca-
 pite, & xi. ad Romanos Paulus agit, quam vt
 omnia quæ fiunt in destinationem diuinam refe-
 rat. Abhorret ab hac sententia iudicium carnis,
 seu rationis humanæ, contra amplectitur eam iu-
 diciam spiritus. Neq; enim vel timorem dei, vel
 fiduciam in deum certius aliunde discas, quã, vbi
 imbueris animum hac de prædestinatione senten-
 tia. Annon eam vbiq; in prouerbis inculcat So-
 lomon?

Solomon? ut alias timorem, alias fidem doceat. An non inculcat eam in eo libello cui Ecclesiastæ titulus est? Multum enim omnino refert ad premedam, damnandamque humanæ rationis tum sapientiam tum prudentiam, constanter credere, quod a deo fiant omnia. An non hoc vno loco efficacissime consolatur discipulos Christus, cum inquit, Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Quid igitur, inquires, nulla ne est in rebus, ut istorum vocabulo utar, contingencia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessario euenire scripturæ docet. Esto, videatur tibi esse in rebus humanis contingencia, iudicio rationis hic imperandum est. Sic Solomon, cum in prædestinationis cogitatione versatus esset, inquit, Et intellexi, quod omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ sub sole fiunt. Sed ineptus videar, qui statim initio operis de asperrimo loco, de prædestinatione differam. Quamquam quid attinet in Compendio primo, an postremo loco id agam, quod in omnes disputatiõis nostræ partes incidet. Et cum de libero arbitrio omnino primo loco agendum esset, qui potui dissimulare sententiam scripturæ de prædestinatione, quædo voluntati nostræ libertatem, per prædestinationis necessitatem adimit scriptura. Quamquam non omnino nihil puto referre, statim pueriles mentes hac sententia imbui, quod omnia eueniant, non iuxta hominum consilia & conatus, sed iuxta dei voluntatem. An non hoc Solomon in illis gnomis suis, quas puericiæ scripsit, statim a principio monet.

Nec fidem, nec metum dei doceri posse iur

B

De contin
gentia.

res asse
erram

otuit?

m ope

n ma

ressus

re viã

viam

Hiere.

s, nec

idem

n com

tundo

ut vo

e eos.

abit,

navu

rum,

im te

ij. nõ

uerat

quod

hiere

o ca

m vt

refe

nis,

m iu

vel

vbi

nten

So

on?

DE PECCATO.

dico, nisi persuasum nobis sit, omnia in omnibus
efficere deum. Sophistæ nobis nō aliter deum de-
scripsere, atq; Iouem suum poetæ, Belle scilicet
illi, nam rationem sequebantur, quæ prorsus ig-
nara dei est, & ἄθεος.

Dulcescet hæc de prædestinatione sententia,
vbi impiæ rationis iudicium spiritus dei stultifi-
cauerit. Quid. n. imbecillitas humana p̄inde op-
tet, atq; vt in manu dei omnia nostra consistant,
ne nostris consilijs, sed diuinis regamur? Magnū
omnino est, cōmisisse omnia diuinæ voluntati.

~~Tollit itaq; omnē libertatem voluntatis no-~~
~~stræ prædestinatio diuina.~~ Quæ de re copiose di-
sseruit Paulus ad Roma. viii.

S V M M A.

Etiā iuxta naturæ iudicium in adfectibus nul-
la libertas est.

Nulla item libertas est, si voluntatem huma-
nam ad prædestinationem conferas.

Quare nihili cōmentū est, dogma scholasticū
de libero arbitrio, de præparadis nobis ad gratiā
de merito cōgrui, de qbus infra suo loco dicemus.

Vides lector, quāto simplitijs de libero arbitrio
scripserimus, quā vel Bernardus vel vlli schola-
stici, porro hæc quæ hactenus disputauimus sub-
inde clarescēt in reliquis compendij nostri locis.

DE PECCATO.

MIRE obscurarunt & hunc locum
Sophistæ, cum de relationibus ratio-
nis in peccato disputarent, cum di-
stinguerēt de actuali peccato & ori-
ginali, & alia multa, quæ superuacaneum est re-
tensere. Quid. n. attinet in Cōpendio omnia om-

DE PECCATO. FO. X.

num somnia referre? Nos rem paucis agemus,
vsurpabimusq; vocem peccati scripturæ more.

Q V I D PECCATVM.

Peccatum originale est energia, & genialis
impetus carnis ignorantis deum, querendi carna
lia, propagatus ab Adam, in omnem posterita
tem. Sicut in igni est genuina vis qua sursum fert,
sicut in Magnete est genuina vis, qua ad se ferru
trahit, ita est in homine natiua vis ad peccandu.
Scriptura non vocat hoc originale, illud actuale
peccatu. Est. n. & originale peccatu plane actua
lis quædã praua cupiditas. Sed tam actuale quã
originale viciu, peccatu simpliciter vocat, quan
quã nõnunquã ea quæ nos actualia peccata, vo
cet fructus peccati, vt ad Romanos Paulus solet.
& Dauid, quod originale nos, alias curuitatem,
alias iniquitatẽ adpellat. Nec est quod hic de illis
stultis relationibus in peccato disputemus. Pra
uus adfectus, prauusq; cordis motus est contra le
gem dei, peccatum.

V N D E peccatum Orig.

Deus Opt. Max. cum condidisset hominem
sine peccato, aderat ei per spiritũ suũ, qui hominẽ
ad recta inflãmaret. Idem spiritus gubernaturus
erat omnẽ Adæ posteritatem, nisi lapsus fuisset
Adam. Iã posteaquã deliquit Adã, auersatus est
deus hominẽ, vt non adsit ei gubernator dei spi
ritus. Ita fit, vt anima luce, vitaq; coelesti carens
excecetur, & sese ardentissime amet, sua quærat,
non cupiat, non velit, nisi carnalia, contemnens
dei, & qui possum ego verbis consequi, humani
cordis prauitatẽ. Fieri, n. nequit, quin sese maxi
me amet creatura, quã non absorpsit amor dei.

B ij

DE PECCATO.

Vbi non est spiritus dei, ibi omnia uicia.

Fieri nequit ut spiritalia amet caro. Sic enim in Genesi legitur. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Et apud Paulum Rom. ca. viij. Qui secundum carnem sunt, id est, qui sine spiritu dei sunt (Nam vel ex illo Genesis loco liquet carnem esse vires humanas; sine dei spiritu) quæ carnis sunt adfectant. Et rursus, adfectus carnis inimicitia est aduersus deum, Itaque cum tradunt Sophistæ, Peccatum originale, esse iusticiæ originalis carentiam, sic loquuntur ipsi, recte dicunt. Sed cur non addunt, quod vbi non est originalis iusticia, seu spiritus, ibi esse reuera carnem, reuera impietatem, reuera contemptum rerum spiritalium. Primus itaque adfectus, & summus naturæ hominis est amor sui, a quo rapitur, ut velit, desideretque ea tantum quæ suæ naturæ bona, iucunda, dulcia, gloriosa videntur, odio habeat, & formidet ea quæ naturæ aduersa videntur, auerseturque eum qui arcet ab ijs quæ cupit, aut qui præcipit ea sectari, ea quæri quæ displicent. Proh quæ hominum incomprehensibilis miseria est, Hinc in homine dei & legis diuinæ odium oritur. hinc homini, ut mox latius explicabimus ignis consumens deus est.

III. Esse vero peccatum originale Pelagiani negasse feruntur. quorum dogma reuellit Augustinus aliquot voluminibus erudite. Nam in hac disputatione, potissimum regnat, ita, ut cætera fere quæ præter Pelagianam causam scripsit, frigidiora videantur. Nos subiiciemus locos aliquot testantes esse peccatum originale. Et quid potuit clarius dici eo, quod est scriptum ad Ephesios secundo capite. Eramus natura filij iræ, sicut &

DE PECCATO. FO. XI.

exteri. Quod si natura sumus filij iræ, certe nascimur filij iræ. Quid enim ibi aliud agit Paulus, quã omnes vires nostras peccato obnoxias nasci. nihil vlllo tempore in vllis hominũ viribus boni esse. Capite. quinto ad Romanos instituit disputationem de peccato, gratia, & lege, vbi peccatũ docet propagatum in omnes homines. Quomodo vero propagatum est vnus peccatum, si non ab vno omnes nascuntur peccatores? Necq; vero negari potest, quin de originali peccato eo loco Paulus disserat. Nam si de suo cuiuscq; peccato loqueretur. non posset dicere, vnus delicto, multos mortuos esse. quod de actuali, quod vocant, peccato non posse dici quis non videt? nisi calumniari quis textum velit. Iam si nõ est auctor peccati Adam, non erit solus Christus auctor iustitiæ, sed etiam Adam. Item si de suo cuiuscq; peccato loquitur, cur pueri moriuntur, qui nondum admiserunt peccatum, quod vocant, actuale? Et cum nõ nisi per peccatum mors irrumpat, necesse est pueros peccati reos esse, peccatumq; habere, at quod? certe originale. Loquitur autem Paulus de eo peccato, per quod omnes morti adiudicati sunt. Quin consideramus Paulini sermonis figuram. Perinde. n. atq; hic ad Romanos, alias etiam Corinthijs scribit. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Huc pertinet prophetæ exclamatio. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Significat. n. David, se natum esse peccatorem. Præterea, si omne desiderium cogitationũ humani cordis vanum est & prauũ omnitempore, vt Genesis. vi, scribitur, necesse

DE PECCATO.

est cū peccato nascamur. Iam si in Christo oēs benedicimur, necesse est in Adam maledicti simus. At quid est maledicti, nisi peccati nos damnari? Huc pertinent immundiciæ in typis legis, huc pertinent cædes primogenitorū Aegypti. Et quid attinet multis rem agere, cum Christus apud Iohannem satis clare dicat, Quod ex carne natum est, caro est. si caro est, vt supra monuimus, ergo sua quærit, sese amat. Quod si non est obnoxia peccato prima natiuitas, qd attinet renasci? Imo si carnis natiuitas bona est, quid attinet renasci ex spiritu?

VIS PECCATI & fructus.

III Minore negotio Pelagiani veteres reuelli possunt, quæ nostrorum temporum noui Pelagiani, qui & si non negent esse peccatum originale, negant tamen, eam esse vim peccati originalis, vt omnia hominum opera, omnes hominū conatus sint peccata. Proinde de vi, energiaq; peccati originalis paulo copiosius dicemus. Viuax quædam energia est peccatum originale, nulla nō parte nostri, nullo non tempore fructum ferens, vicia. Quando enim hominis animus nō æstuat malis cupiditatibus, in quibus quæ teterrimæ ac foedissimæ sunt, ne deprehenduntur quidē. Auaritiam, ambitionem, odium, inuidiam, æmulationem, libidinum flammam, iram, quis est qui non aliquando sentiat? arrogantiam, fastum, timorem pharisaicum, contemptum dei, diffidere deo, blasphemiam, principes adfectus rari sentiunt. Sunt qui in speciem viuunt honestissime, & Paulus se ita vixisse ante cognitum Christum te

DE PECCATO. FO. XII.

statutur vt reprehendi non posset. Hi non habent
 quod glorientur, siquidē animi sunt obnoxij tur-
 pissimis illis atq; miserrimis adfectibus, quos nō
 sentiscunt. Quid. n. si aliquando, vt in morte, ape-
 riat illis oculos deus, vt sua vicia, suos morbos,
 sanctuli cognoscant. Nonne intelligent id, quod
 est apud Esaiam? Omnē gloriā carnis, esse ceu
 gloriā fœni. Vides quā profunda sit, immo quā
 imperscrutabilis malicia humani cordis. Et Sophi-
 stas nostros nondū pudet docere operum iustitiā
 docere satisfactiones ac philosophicas virtutes.
 Esto fuerit quædā in Socrate constantia, in Xeno-
 crate castitas, in Zenone tēperantia, tamen quia
 in animis impuris fuerunt, immo q̄ amore sui, ex
 philautia oriebantur istæ virtutū vmbrae, non
 debent pro veris virtutibus, sed pro vicij ha-
 beri. Tolerans fuit Socrates, sed amans gloriæ,
 aut certe placens sibi de virtute. Fortis fuit Cato
 sed amore laudis. Effundit autem huiusmodi vir-
 tutū vmbrae deus in gentes, in impios, in quos-
 uis, non aliter atq; formam, opes, & similia do-
 na largitur. Et cum hanc externam virtutis per-
 sonam ac laruā miretur tota humana ratio, pseu-
 dotheologi nostri falsi cæco naturæ iudicio com-
 mendarunt nobis philosophica studia, philoso-
 phicasq; virtutes et operum externorum merita.
 At quid in vniuersum docent philosophi, si qui
 optime docent, nisi fiduciam & amorem nostri
 M. Cicero in finibus bonorum & malorum om-
 nem rationem virtutis, ab amore nostri, & phi-
 lautia æstimat. Quantum in Platone timoris
 est & fastus? Neq; facile fieri mihi posse videtur
 quin ab illa Platonica ambitioe contrahat aliqd.

Virtutum
 vmbrae in
 gentibus nō
 virtutes.

DE PECCATO.

vicij, si in illius lectionem inciderit, ingeniū per se se altum, & vehemens. Aristotelis doctrina est in vniuersum quædam libido rixandi, vt eum inter paræneticæ philosophiæ scriptores ne postremo quidem loco dignemur. Sed de philosophia posthac in legum ratione dicemus.

V Et vt rem omnem velut in compendium cogam, Omnes homines per vires naturæ vere, semperq; peccatores sunt, & peccāt. Genesis. vi. Omne desiderium cogitationum cordis humani vanum & prauum omni tempore. Et repetita est eadem sententia in capite octauo, Sensus et cogitatio humani cordis praua, a puericia. Vbi nos legimus, prona est ad malum, quod quanquā nō multum a sententia absit, tamen vt malebam germana lectione, q; clarior sit, simpliciter adfirmans hominem prauum esse. Ne quis mihi Thomista eludat Mosen, q; cum pronitas, seu inclinatio non sit actus, non possit esse peccatum, sic em̄ philosophatur stolidi sophistæ. Esaiæ. ix. Omnes hypocritæ sunt, & nequam, & vniuersum os locutū est stultitiam. Rursum Esaiæ. xli. Ecce oēs vani, & vana opera eorum, ventus & inane cōsilia eorum. Iterum Esaiæ. liij. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Quo loco propheta luculēto vaticinio & historiam passionis Christi, et fructum exposuit, cum prædixit, talia passurū Christum, vt omnium hominum videri possit abiectissimus, at ideo passurum, vt iustificet multos. Si quidem oēs plane peccatores simus, nec aliunde iustificemur, nisi per fidē in Christū, Et de ijs q; su

DE PECCATO. FO. XIII.

Is virib. ac operibus iustificari volūt, nō. per fidē
i Christū inqt, dabit ipios p sepultura, et diuites,
pro mortē sua. Itē, fortitū diuidet spolia. Nā impij,
diuites, fortes plane sunt isti hūanæ iusticiæ, li-
beri arbitrij, philosophicarum virtutum, breuiter
humanarum virium adsertores, ignari Christi.
Vides quā breui concione totam Euangelij vim
descripserit Esaias. Tu vero Christe spiritum im-
parti tuū, qui hęc nobis aperiat & explicet my-
steria. Iam & Dauidem audiamus, qui cum idem
plerisq; locis sentiat, vt cum ait, omnem homi-
nem mendacem esse, tamen toto psalmo. xliij. hoc
intonat, cum inquit, Dixit insipiens in corde suo,
non est deus, Corrupti sunt, & abominabiles fa-
cti sunt in studijs suis, Non est qui faciat bonum.
Dominus de cœlo prospexit super filios Adam,
vt videat, num sit intelligens aut requirens deū.
Omnes defecerunt, simul inutiles facti sunt, non
est qui faciat bonū, non est ne vnus quidem &c.
Ecce nō accusat hominem simplicium viciorum,
sed atrocissimorum scelerum, impietatis, incre-
dulitatis, insipientiæ, odij & contemptus dei, que
vicia, deprehendere nemo potest præter spiritū.
Quid hic hypocritæ Theologistæ? quæ nobis
opera liberi arbitrij, quas humanas vires prædi-
cabitis? peccatum originale fingitis non negari a
vobis, & tamen docetis posse hominem suis vi-
ribus aliquid boni facere. Num arbor mala bonū
fructum ferre potest? An non videtis vt hic pro-
pheta arborem cum fructibus descripserit, cum
non modo de corde insipientis, sed & de omnib.
hominis studijs, consilijs, desiderijs, operibus, co-
natijs loquitur. Vides autē quanto discrimine

B v

DE PECCATO.

de homine iudicent philosophia, seu humana ratio, & sacrae literae. Philosophia non respicit nisi externas hominum larvas, Sacrae literae penitissimos & incomprehensibiles adfectus observant, quibus cum regatur homo, de operibus pro adfectuum ratione iudicant. Et cum in omnibus operibus nostra queramus, necesse est ea reuera peccata esse, & ut non dicam interim de crassissimis cupiditatibus. nonne eorum qui in speciem bene vivunt, alius ad huiusmodi mores trahitur fastidio rerum humanarum, alius metu fortunae, alius ambitione, alius amore tranquillitatis, nam haec causae melioris in speciem vitae & quondam fuere philosophis, & nunc sunt plerisque hominibus, alius simulato quodam poenarum diuinarum metu, alij alijs causis, quis enim labyrinthum humani cordis possit explicare & maxime cum tanta sit adfectuum, quanta ingeniorum diversitas. Quis est autem omnium hominum secundum naturam qui non malit licere, indulgere genio, qui non aeger ferat coherceri lege. Quod si nunc non sentis, nihil refert, erit enim quom certis. senties, quam indignetur animus cupiditates suas lege coherceri. Praeterea Iohannis. i. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, ipsi qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Vides damnari sanguinem, voluntatem viri, voluntatem carnis, hoc est, omnino quidquid est virium naturae, ex deo vero filios renasci. Et ut multos locos praeteream, quos studiosus lector per sese observabit, Iohan. xv. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi

DE PECCATO. FO. XIII.

manferit in vite, sic nec vos, nisi in me māseritis.

Obiter incidit confutandū, quod impij isti Sophistæ hic ogganniunt, cum diluunt has tam claras sententias, verum esse, hominem secundum naturam non posse bene agere, meritorie. Sic em̄ loquūt, Itaq; duplex bonum fingunt, meritoriu & non meritorium, & in hoc tantum, ne philosophicas liberi arbitrij virtutes, externas istas virtutum vmbas, oporteat vicij arguere. O impietatem. An non est hæc illa κυβεία verborum, fingere bonum, alias meritorium vitæ æternæ, alias non meritorium. Tu vero certo sic sentias, nihil neq; boni neq; meritorij fieri posse ab homine per vires naturæ. Quandoquidem dicit scriptura, Omne desiderium cogitationum cordis humani vanum esse & prauum. Certe quod vanum est & prauum, id non modo non est meritorium vitæ æternæ, oportet enim vti me illorum verbis, sed nec bonum. Sic David, Omnis homo mendax. Esaias, Omnes sunt hypocritæ, & prauī, & vniuersum os locutum est stultitiam, Ecce non modo non meritorium dicit, sed plane malum. Porro ex his quæ & hæctenus tractauimus, & paulo post adnotabimus hoc genus illorum nugas facile quisq; per sese confutabit. Impij Sophistæ non æstimabant ab adfectibus cordis opera, sed philosophico more de eis iudicabant, quod in causa fuit, cur hallucinarentur.

Iam PAVLVS in omnibus fere Epistolis, maxime vero in ijs, quæ ad Romanos & Galatas scriptæ sunt, quid in vniuersum aliud agit, quam vt doceat peccata, seu vicia esse.

DE PECCATO.

omnia opera & omnes conatus virium humanorum. Habes caput ad Romanos tertium, vbi ait, omnes homines sub peccato esse, idq; magnifice & splendide e prophetarum testimonijs docet. In capite octauo, postquam disputauerat non posse legem a nobis fieri, confert carnem & spiritum. Docens carnem esse prorsus obnoxiam peccato, spiritum autem esse vitam & pacem. Hic Sophi-
Caro signifi stæ vocant carnem, adpetitum sensitium oblit-
cat corpus et phraseos ac tropi scripturæ. Non em̄ corpus, par-
animã, adeo tem hominis, sed totum hominem, tam animã
q; oēs vires quã corpus scriptura voce carnis signat, & quo-
naturales. ties cum spiritu confertur, significat optimas na-
turæ humanæ ac prestantissimas vires citra spiri-
tum sanctum. Rursus spiritus significat, ipsum
spiritum sanctum, et eius motiones atq; opera in
nobis. Sic Iohan. iij. Quod natum est ex carne ca-
ro est, quod natum est ex spiritu spiritus est. Et
Iohan. octauo, Vos secundum carnem iudicatis.
Et Genesis. vi. Non permanebit spiritus meus in
homine, quia caro est. Oportet ergo intelligamus
carnis vocabulum de omnibus humanæ naturæ
viribus. Alioqui non consistent Pauli argumen-
ta in tota Epistola ad Romanos. Sic enim solet ar-
gumentari, Caro non potuit legem implere, ergo
spiritu est opus qui impleat. Ibi si carnem pro par-
te hominis tantum vsurpemus, quomodo cõsi-
stet Pauli enthymema? Posset n. eludi ad hunc
modum, & si caro legem facere non potuerit, po-
tuisse tamen meliorem aliquam hominis partẽ,
atq; ita spiritu non fuisse opus ad implendam le-
gem. Verum dedidicimus non modo scripturæ
sententiam, sed & sermonem, doctoribus philo-

DE PECCATO. FO. XV.

Sophastris, & vt in Esdra legit, alienigenas vxores duximus, & earum linguam pro nostra vsurpauimus. Itaq; carnis vocabulo vttere & pro optimis humanæ naturæ viribus, & pro pulcherrimis illius conatibus. Carnis fructus est, tam speciosa illa Socratis aut Catonis virtus, quã Cæsaris parricidia. Tam carnis fructus sunt speciosiss. Pauli virtutes, quibus præditus erat, priusquã Christum agnosset, quã Clodiana adulteria. Iam quod hic vocamus carnem, solemus alias nuncupare veterẽ hominem, qui itidem significat quid quid est virtum humanæ naturæ. Id quod ipsum vocabulum palam arguit. Nam cõmuni sensu carere videatur, qui hominis partem modo adpellatione veteris hominis notari velit. Quis enim audito hominis vocabulo corpus tantum intellexerit? Vsurpat autem promiscue Paulus veteris hominis, carnis & corporis peccati voces. Iã & exterior homo significat prorsus id quod vetus homo, seu caro, hoc est, non modo partes hominis exteriores, sed omnes hominis naturales vires. Et de partitionibus quidem hominis infra, vbi de gratia egero, plura dicam. Nũc satis sit admonuisse, quid caro significet. Falluntur em̄ qui in homine quem non instaurauit purgauitq; spiritus sanctus esse censent quidpiã, quod nõ possit caro, adeoq; viciosum dici. Proinde, vt Paulinã sententiam de naturalibus hominis viribus excutiamus, verba illius subiicio. Impossibilitatem legis (quia infirma erat per carnem) deus filiũ suũ mittens in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum car-

DE PECCATO.

nem ambulamus, sed secundum spiritum. Hactenus proposuit Paulus summam causæ, nempe quod cum impossibile sit legem fieri a nobis quia carnales sumus, miserit deus filium, ut legi satis faceret per nos, dum carne mortui, spiritu vivimus. Quæso hic quid vocat carnem, Nam cum palam sit spiritum vocari spiritum sanctum & eius motiones ac impulsus, consequitur necessario ut carnem voces quidquid in nobis est a spiritu sancto alienum. Porro propositæ sententiæ rationem reddit Apostolus, Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt adfectant, qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus adfectant. Nam adfectus carnis mors est, Adfectus autem spiritus vita & pax. Ecce quare legi non possit per carnem satisfieri, Quia qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt adfectant, quasi diceret, vos pharisæi & hypocritæ legem viribus vestris fieri posse censetis. Bene in speciem operari videmini, videmini præditi pulcherrimis virtutibus. Sed ea omnia fucus sunt. Nam cum caro sitis, vestra queritis, vel metu poenarum vel amore comodi, vel alio quopiam carnali adfectu bene facitis in speciem. Neque fieri potest, ut sit in vobis dei sensus aliquis, cum caro sitis. Adeo nec quæ dei sunt cupere & adfectare potestis. quis est, n. quam sumus bonus videatur in speciem, qui sic amet deum, ut si ille velit libenter mortem & inferos perferat. Dici non potest, quam multa, quam grandia Apostolus tam breui versiculo comprehendit, Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt adfectant. Contra, qui secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt adfectant, id est, in quos spiritus sanctus effusus est.

DE PECCATO. FO. XVI.

in ihs est sensus dei, fiducia in deum, amor dei. Si-
cut econtra in carne, non nisi contemptus & odiū
dei. Id quod vult Apostolus cum ait, Adfectus
carnis mors est, adfectus autem spiritus vita &
pax. Et sequit, Adfectus carnis inimicitia est ad-
uersus deū, legi. n. dei nō est subditus, neq; vero
potest subdi. Vide quæso Paulinum Epilogum,
cum ita finit. Vim omnem carnis nostræ esse inī-
micam deo, nec posse legi dei subijci. Quod si nō
potest legi dei subijci, quid dubitamus, quos fru-
ctus ferat? Iam non modo, inquit, nō subijcitur
legi dei, sed & ne posse quidem legi subijci. Con-
sequitur itaq; omnia hominū quantumuis lauda-
bilia in speciem opera plane viciosa esse, & mor-
te digna peccata. Huc adferant, si libet, Sophistæ
friuiolas suas distinctiunculas de carne, & spiritu,
de bono & meritorio, & quidquid est similiū nu-
garū, vt hanc nobis Pauli sententiā extorqueāt.
Quid. n. clarius est quā quod ait Paulus, nō im-
pleri iustificationē legis, nisi in ihs qui secundū spi-
ritū sunt. Ergo qui nō sunt perfusi spiritu sancto,
nō satisfaciūt legi. At legem nō facere, quid aliud
est quā peccare? Siquidem peccatū est omnis mo-
tus & impulsus animi aduersus legem.

Proinde cum Sophistæ docent, peccatū ori-
ginale esse, excidisse fauore dei & carere origina-
li iustitia, debebant addere, q̄ cum absit a nobis
dei spiritus & benedictio, maledicti simus, cum
lux absit, esse in nobis nihil nisi tenebras, cœcira-
tem & errorem. Cū absit veritas, nihil in nobis
esse nisi mendaciū. Cum absit vita, nihil esse in
nobis nisi peccatū & mortem. Sic Paulus exponit
qd̄ vocet filios iræ, in secundo capite ad Ephesios.

DE PECCATO.

Et nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ. Infra vbi de legis viribus differemus, pleraq; ad hunc quoq; locum accomodari poterunt, ideo nõ libet diutius hic immorari. Quæ enim vis peccati sit, tum demum cernitur quom lex reuelatur, quæ omnes homines peccati arguit. Conclufit. n omnia scriptura sub peccato, vt ad Galatas scribit Apostolus. vt promiffio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et ex his quæ hoc loco disputauim colligere potes quid fit de virib⁹ hūanis sentiendū, Num qua fit libertas, quā factant Theologi vere liberi arbitrij, quia pro suo arbitrio, sine scriptura, quiduis decernunt. Quæ enim potest esse sine spiritu libertas, cum ille tyrannus noster, peccatum in carne nostra, etiam negotiū faciat viris exundantibus spiritu. Quis em̄ sanctorum fuit vnquam, qui non deplorauerit hanc seruitutem, immo captiuitatem. Et Paulus cap. vii. ad Romanos, Videre se ait legem in membris suis, repugnantem sibi, & captiuantem se, ea lex membrorum, seu tyrannis peccati ardor & impetus est peccati, quod nobis congenitum est. Et de his quidem infra, qui partim spiritu iusti, partim carne peccatores sunt.

Hinc item consequitur impossibilia, vt infra disputabimus copiosius, præcepta esse. Id quod ex eo loco quem supra produximus ex octauo capite ad Romanos. Non posse carnem legi dei subijci, satis adparet. Item, ex eo quod ibidem dicit, Impossibile erat legi iustificare. id est Non satis erat lex quæ ostenderet qd faceremus, sed oportuit

DE PECCATO. FO. XVII,

tuit etiam spiritum conferri per Christum, qui nos ad legem amandam inflamaret. Et hic ruit illa philosophiæ moralis, & liberi arbitrii Theologorum sententia, impia & stulta, quam plenis buccis nunquã non intonant Scouistæ. Voluntatē posse se conformare omni dictamini rectæ rationis. Contra Paulus inquit, legi impossibile fuisse iustificare, id est, Non fuit satis, præscribere legem, quid ageremus, quod caro infirma esset, & auerfaretur legem. Quanquam nec recta ratio est nisi quæ spiritu dei illuminata est. Sed hic impegerunt, q̄ nouam quandam voluntatem finxerunt, quæ haberet actus elicitos, quorum cunq; traheret adfectus. Quod si scripturæ sermonem ac phrasin obseruarent, facile vidissent mendacia, & vanas cogitationes intellectus esse, quæ confinxerunt de actibus elicitis. Possunt. n. impelli exteriora mēbra, alio nonnunquã, quã quo trahebat adfectus, sed hoc cum fit, per simulationem ac mendacium fit.

Non possum hic mihi temperare, quanquã de vi legis postea sim dicturus abunde, quin obiter indicem Christiano lectori fatuas, insulas & impias sophistarum argutias, quibus probant posse nos per vires naturæ diligere deum. Sic enim arguantur, Diligi potest minus bonum, nempe creatura quæpiam, posse igitur & maius bonum diligi. Scilicet hic est sermo Christianorum, quem Paulus vult esse sale conditum. Adeo hoc est & festiuium & mere Aristotelicum, & Aristotelicis dignum Theologis cōmentum. Primū ea est amoris natura, vt non amemus, nisi quæ nobis bona, tum iucunda, tum commoda videntur,

C

Volūtas falso dicitur se posse conformare omni dictamini rationis.

Volūtas scolastica est figmentum.

DE PECCATO.

adeoq; quidquid amamus, nostri commodi respectu amamus. Amas opes, amas pecuniam, non q; ipsa per sese bona res sit, sed q; vsibus vitæ tuæ seruitura videat. Sic deū non amas quantumvis bonū, nisi tuis rationibus tibiq; vtilē esse sentias. Iā etiā si hac ratione respectu tui cōmodi amares, seruiliter amares, & prauo peruersoq; adfectu naturæ, planeq; peccares. At ne sic quidem vnquam amas, neq; enim ex deo vlla cōmoda sentiuntur, nisi per spiritum sanctum iam cor sit purificatum, & insculpta sit puro pioq; cordi dei beneficentia. Quid autem cum conscientia tibi deū ostendit iratum, interminantem perpetuā mortem, & illud horrendū tempus vultus sui, sic vt David ait, Hic cum, non bonorum sed malorum tantum sensu, nempe poenarum quæ a deo infliguntur, tangatur, quæso eo potest aduertere animum natura humana, vt amet, vt benigne ferat

Non ferent etiam inferorum poenam? Atqui vbi conscientia percutit animum, iam ita auersatur, & exhorret deum, vt carnificem crudelem, & vindicem, & quod est atrociss. iniquum. Hic sophistæ quid illi vestri actus elicit, quid illa egregia vestra voluntas, quam finxistis, efficiet? An non ille iræ dies, ille ignis declarabit nihil nisi mendacium & ceruissam esse humanas illas liberi arbitrii iustitias? & omnem gloriam carnis, esse veluti foenā gloriam. Nonne ignem ac caliginem, immo ipsam etiam Mosi faciem reformidabat Israel, cum lex promulgaretur? Nonne commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est

DE PECCATO. FO. XVIII.

eiſ deus? Sed hæc de re infra vt ſpero multa ſatis
dicemus, vbi de legis videretur. Habes lector
hic primum non amari, niſi quæ nobis commo-
da ſunt. At deus nullius commodi reſpectu amari
vult, ſed liberaliter, Neq; enim deum amat, ſed
ſeſe qui commodum amat. & contra prauum hūc
amorem quam multa paſſim ſcripturæ monent.
Subijcienda eſt & alia quædam argutia non ad-
modum huic aſſimilis, non abſurdum videri de-
bere, q̄ docent citra ſpiritus ſancti operam, poſſe
nos ardentius amare deum quam noſipſos, quan-
do quidem sæpe etiam pro caducis rebus, pro ho-
minibus, pro amoribus, pro liberis, pro coniu-
gibus mortem obimus. Hic quid reſponderi de-
beat ex ratione adfectuum colligendum eſt. Pri-
mum enim nemo gaudet mori per naturam, &
quorum vita pro Repub. pro re familiari pericli-
tatur, illi ipſi plane mallent viuere. Mallet enim
viuere Curtius, mallet viuere Lucretia. Sed quia
adeo refugit aduerſa natura humana, malum
non eſſe, quam male eſſe, quam algere. Mallet
viuere Pyramus, ſed quia inſelicem ſibi vitam
arbitratur futuram ſine Thiſbe, vult abrumpere
id mali, & velut vna cum anima ponere. Mal-
let viuere Saul, ſed metu dedecoris & ira & de-
ſperatione, velut ſemel finiturus cum vita om-
nia aduerſa, abrumpit vitam. Sed quid ego exa-
ctam adeo adfectuum rationem reddere conten-
do, cum raræ iſtæ neces, qualis eſt Lucretiæ, Sau-
lis, & ſimilium, ſint mirabilia diuinæ maiestatis
exempla.

C ij

DE PECCATO.

De merito
congrui.

Iam quæ prodidere Sophistæ, de merito congrui, scilicet, quod ex operibus moralibus, id est, quæ viribus naturæ nostræ facimus de congruo, sic loquuntur, mereamur gratiam. Ipse lector, intelligis blasphemias esse in iniuriâ gratiæ dei ementitas, etiam cum naturæ humanæ vires citra Spiritus sancti adflatum, non possint, nisi peccare, quid merebimur nostris conatibus nisi iram et simulationes, & mendacia sunt illi actus elicit, illa ficticia proposita, illæ quas falso vocant bonas intentiones, quas præscribunt sophistæ. Quare tantum abest ut gratiam per eas impetremus, ut nihil sit quod perinde gratiæ aduersetur, atque illæ pharisaicæ præparaciones. Porro hanc impietatem pertinacissime insectatur Paulus cum alias, tum in tota ad Romanos Epistola non aliud agens nisi gratiam non esse gratiam, si pro operibus detur. Quis est enim misericordiæ locus, si respectus est nostrorum operum? quæ est gratiæ gloria, ut Paulinis verbis utar, si debet nostris operibus? Palam capite tertio Paulus ad Romanos docet, & omnes homines sub peccato esse, & gratis iustificari eos qui credunt. Quid quod in capite nono ait? Israel sectando legem, ad legem iusticiæ non peruenisse, id est, eos qui sui liberi arbitrii viribus aggredierentur legem facere, nunquam facere legem, sed simulare tantum in speciem. Esaias propheta cap. lv. ad Christum inuitat gratis empturos quosuis. Venite, emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare adpenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum in saturitate? id est, quare fiditis vestris operibus? quæ frustrabuntur vos. Audite audientes

DE PECCATO. FO. XIX.

me, & comedite bonū, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, id est, CREDITE, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactū sempiternum, MISERICORDIAS DAVID FIDELLES, id est, promittam misericordiam Dauidi fidelem, id est, ratam. Hiere. xvij. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a domino recedit cor eius. Erit. n. quasi myricæ in deserto & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra falsuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & cum venerit estus non timebit &c. Vide reliqua. Nam vel vnum illud eius prophete caput satis clare coarguerit, nihil esse opera moralia, nisi simulatiōes & mendacia carnis nostræ.

Huc pertinet quod scholastica theologia de pœnitentiæ initio, deq; attritionibus confinxit. Neq; em̄ de cōmisso dolet natura nisi amore sui, metuq; pœnæ, qui amor sui & metus pœnarū sunt plane peccata, & impossibile est quin adferant secum odium eius, qui pœnas infligit, nempe dei. Peculiare vero dei opus est peccati in nobis cognitio & odium. Deducit enim dominus ad inferos ac reducit, dominus mortificat & viuificat, dominus humiliat & subleuat, ait Hanna in Cantic. i. Reg. ij. Et Propheta Hiere. Postquā conuertisti me egi pœnitentiam &c. Porro quid atinet hic immorari, cum planissime dictum sit a Christo Iohan. vi. Nemo venit ad me nisi pater

Sentētia Zachariæ. Cōuertimini ad me. &c.

DE PECCATO.

meus traxerit eum. Quod vero obijciunt sententiam domini apud Zachariam ignari troporum & figurarū sacri sermonis sophistæ. Cōuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, non efficit, pœnitentiæ iniciū in nobis esse positū. Excussit autem hanc sententiā Aug. non vno loco, neq; vero obscura est, nisi Sophistis qui præter parua logica lia aliud nō didicerūt. Duplex est cōuersio dei ad nos, altera præit resipiscentiæ nostræ, altera sequitur. Quæ præit, ea fit, cum deus nos resipiscere facit adflatu spiritus sui, cum ostenso peccato nos terret, conturbatq;. At quæ sequit cōuersio, fit cū modū finemq; pœnarū faciens, consolatur nos declaratq; palā sese fauere nobis. De posteriore loquit Zacharias cū inquit, Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Id est, resipiscite, & ego pœnarū finem faciam. Hortatur. n. propheta eos qui iā ab exilio Assyrio redierant in Iudæā, vt patrū exemplo moniti resipiscāt, ni rursus velint irā diuinam, pœnasq; prioribus similes experiri. Hinc colligi non potest, in nostra manu esse initium pœnitentiæ. Ipse nos inuitat trahitq; ad sese, & vbi traxerit, condonans pœnas declarat sese nobis placatum esse reconciliatumq;. Et qd præcipit cōuertimini ad me, nō consequit in nostris viribus esse, resipiscere, seu conuerti. Sicut, quia sese diligi præcipit super oia, nō consequitur id in nostris viribus esse, quia præcipit. Immo ob hoc ipsum qd præcipit, non est in nostris viribus. Præcipit. n. in hoc impossibilia, vt misericordiam suam nobis cōmendet, sicut infra de lege dicemus. Et cur non Sophistæ in Zachariæ propheta hanc etiā sententiā obseruarunt, quæ in cap. x.

DE PECCATO FO. XX.

contineat. Et conuertam eos quia miserebor eorū,
& erunt sicut fuerunt, quādo nō proieceram eos.
Ecce ipse ait se cōuersurū ludam, neq; vero prop-
ter illorū benefacta, sed propter suā ipsius miseri-
cordiam. Similes locos cōmendo tuæ, Christiane
lector, industriæ. Futurum enim est vt vbi fa-
miliarior tibi scripturæ vsus fuerit, nullo nego-
tio quascunq; sophistarū argutias diluas.

Habes lector de vi ingenitæ pestis quantum
mihi videbatur dici debere. Neq; plura requirent
hi qui potius diuinarū literarum lectione, medi-
tationeq; formari volent, quā humanis cōmen-
tarijs. Nam, satisfieri nulla cōmentatione potest,
ijs quorum animi incertis disputationibus, varijs
hominū sentencijs atq; opinionibus confusi nihil
nisi carnalia sapiunt. Vnus est idemq; vt simpli-
cissimus, ita certissimus doctor, diuinus spiritus,
qui sese & pro xime & simplicissime in sacris lite-
ris expressit, in quas vbi animus tuus veluti trās-
formatus fuerit, tum demū absolute, simpliciter,
exacte, vt aliarum rerū theologiarum, ita huius
loci rationem comprehendes. Qui pendent non
a spiritus sed hominum iudicio æstimationeq; nō
res ipsas, sed vix tenues quasdam rerum vmbas
cernunt, non aliter atq; illi in Platonico specu.
Quis enim tum philosophorum, tum scholasti-
corum Theologistarum propriam virtutis aut
vicij formam vidit? Metiebantur Theologastri
peccatum, non nisi externis operibus, interim ani-
mi maliciam, & velut intercutem morbum non
videbāt. Et vt maxime deprehenderint quorun-
dam adfectuū improbitat em, tamen nec omnes

DE PECCATO.

nec eos animaduertit ratio, quibus cum in primis spiritui diuino bellum est, nempe blasphemiam, odium dei, amorem sui, diffidere deo, & hoc genus innumerabiles, qui homini sic insiti sunt, vt non in vna aliqua parte tantum, nempe in appetitu sensitiuo hæreant, vt isti docent, sed vniuersam naturam occuparint, captiuamq; habeant. Adfectus isti infirmitatē vocant, sed talem quæ humanis viribus vinci possit. Scriptura contra negat nisi spiritu dei posse vinci carnis adfectus. Quia quos filius liberauerit, ij demum vere liberi sunt Iohannis. viij. Proinde nihil te moueant istorum figmenta de externis operibus, de actibus elicitis voluntatis, & similia. De corde iudicat deus, non de externo opere. Non. n. quomodo videt homo, videt deus, vt in historia regum legitur. Et vel hinc licebit æstimare, quantū damni dederit rebus Christianis philosophia, cum Theologastri nostri philosophiam secuti finxerint bona opera, illam externorum operum personam, quæ quā nihil mereantur vel sola illa in Euangelio de fatuis virginibus parabola docet. Nihil enim virgines præter pharisaicam iustitiā, hoc est, externorum operum vmbra designant. At quid aliud docent philosophi nisi opera externa? cum de virtutibus disputant, an non omnia referunt ad externa opera & illos fictitios actus elicitos? Sed cæci sunt & duces cæcorum, proinde optandum est, vt animos nostros deus a rationis humane iudicio philosophiaq; ad spirituale iudicium transferat. Nam quæ est cæcitas humane rationis, fieri nequit, vt citra lucem spiritus, absolutam peccati iusticiaeue formam cognosca-

Parabola de fatuis virginibus.

DE PECCATO. FO. XXI.

mus Oēs humanæ rationis captus tenebræ sunt. Lux est Christi spiritus, is solus docet omnem veritatem. Non potest in relucētē Mosi faciem defigere oculos caro seu humana ratio, quare verum legi obducit, & de externis tantum operibus seu ficticijs propositis, vel intentiōibus, quas vocant, vel de litera, vt Pauli verbo vtar, iudicat Spiritus vero profunda scrutatur & penetrat. Et vt eorū quæ de peccato originali scripsimus, summam paucis verbis indicem subiiciam theses aliquot, velut ἑλεγχος superiorum.

Peccatum est adfectus contra legem dei. I

Quia filij iræ nascimur, fit vt sine spiritu dei nascamur. II

Quandoquidem in homine non est spiritus dei, nihil nisi carnalia sapit, amat & quærit. III

Hinc est in homine contemptus & ignorantia dei, & quidquid viciorum psalmus. xiiij. describit, Dixit insipiens in corde suo non est deus. IIII

Ita fit vt homo p vires naturales nihil possit, nisi peccare. V

Non enim tantum pars hominis quam vocant adperitum sensitiuū est obnoxia adfectibus peccati. VI

Quandoquidem cor immundum esse scriptura testatur, consequitur omnes vires humanas esse impuras. VII

Significat enim cor non modo sensitiuū adperitum, quem sic isti vocant, sed sedem omnium adfectuum, amorum, odiorum, blasphemix, incredulitatis. VIII

Sicut cor significat omniū humanorum adfectiuū sedē, ita & caro oēs naturales hominis vires IX

DE PECCATO.

- X Carnale, quidquid per naturæ vires fit, Socratis constantia, Zenonis moderatio, nihil nisi carnales adfectus sunt.
- XI Semel in Epistola priore ad Corinthios vocavit Paulus ψυχικόν animale rationis opus, vt philosophicas virtutes.
- XII Atq; ibidem palam est damnari peccati τὸ ψυχικόν
- XIII Alias nunquã non vocat carnem quidquid in nobis, quantumuis in speciem bonũ videatur, citra spiritus sancti operam fit. vt adparet in cap. octauo ad Romanos, cum inquit non potuisse iustificationem legis impleri per carnem. Quis non videt hic signari carnis vocabulo, potissimas hominis vires, quæ videntur hominum iudicio posse legi obtemperare. Idem docet & caput tertium posterioris Epistolæ ad Corinth.
- XIIII Id quod monere volui ne cui imponerent scholastici, cum distinguunt adpetitum intellectiuum & sensitiuum, tribuuntq; sensui prauos adfectus, intellectiuum adpetitum liberant vitio.
- XV Quam sententiam scholasticorum illi scripturæ loci quos supra citauimus satis redarguunt. Neq; iuuari possunt Origene, vt videri volunt, vbi ille de Anima carne & spiritu disseruit. Quãquã quid ad nos quid Origenes sentiat, cū nos de scripturæ, non de Origenis sententia disputemus.
- XVI Quod scholastici negant omnia hominũ opera peccata esse, caussa fuit q̄ oculos tantũ defixerant in externa opera, adeoq; in velatam Moysi faciem, de adfectibus non iudicabant. At deus corda & adfectus iudicat.

DE PECCATO. FO. XXII.

Eadem causa fuit cur finxerint liberū arbitrium, videbant. n. alicubi in operibus externis quandā esse libertatem. Sic. n. iudicat caro de externis operibus. Contra spiritus omnia necessario euenire docet iuxta prædestinationem. XVII

In adfectibus nullam esse libertatem experientia docet. XVIII

Posteaquā omnia in scripturis ad externa opera referri cœperunt, semel vniuersa scriptura obscurata est, nec intellectum, quid peccatum, quid gratia, quid lex, quid Euangelium, quid Moses, quid Christus. Et has tenebras plusquā Aegyptias debemus impiæ isti & execrabili scholasticorum Theologastorum philosophiæ. XIX

Quæ sit illa cognata cordi impuritas, prauitas, nequitia, quā peccatum originale vocamus, deplorantq; omnes sancti vt non sentiat ratio, palam fiet, cū lex reuelabit, hoc est, cū aperuerit oculos cōscientiæ tuæ deus, vt infra de lege dicemus. XX

Debeamus hoc loco etiam de peccati fructibus, hoc est, de viciorū generibus disputare. Perinde atq; in Epistola ad Galatas recensuit fructus carnis Apostolus, sed illa per se quisq; deprehendet. Christiano satis est scire, omnia naturæ opera, omnes virium humanarum adfectus & conatus esse peccata. Iā quis adfectus omnes queat recensere? si genera viciorum ab adfectibus, id quod fieri debet, æstimemus. Alioqui qui virtutum & viciorum formas ab externa specte operum æstimarunt, quoties pro virtutibus vicia, pro vicijs virtutes prodidere? Proinde relinquamus horum iudicium suo cuiusq; spiritui.

DE LEGE.

LOCVS de legibus non paulo clarius aperiet vim rationemque peccati, siquidem peccati cognitio lex esse dicitur. Quare, si quid superiori loco deesse videbitur, sarciet hic, ni fallor, qui sequitur. Quanquam non hoc agimus ut omnia, quæ de singulis fortasse capitibus dici queant coaceruemus, sed nomenclaturam tantum communissimorum locorum facimus. ut videas unde summa Christianæ doctrinæ pendeat & quorsum scriptura potissimum referenda sit. Atque hos locos volo non uti me magistro, sed monitore, e scriptura, non e meo commentario, discas. Nam, crede mihi, multum refert, e fontibus petas, an ex lacunis tantarum rerum materiem.

Hic non modo dulciores aquæ e fonte, ut poeta dixit, sed & puriores hauriuntur. Quanto certius enim est, quod scripturæ præscribunt, quàm quod e commentarijs decerpitur.

Est autem lex sententia, qua bona tum præcipiuntur, tum mala prohibentur. Ius est auctoritas agendi secundum legem. Pro legibus, & contra leges multa sunt a veteribus dicta, quæ ex quo fonte manarint paulo post indicabimus.

Legum aliæ naturales sunt, aliæ diuinæ, aliæ humanæ. De naturalibus legibus, nondum vidi neque a Theologis, neque a Jurisconsultis aliquid digne scriptum. Nam cum naturales dicantur, oportebat a rationis humanæ methodo earum formulas colligi per naturalem syllogismum. Id quod nondum video a quoquam factum, & haud scio an omnino possit fieri, nempe usque a deo capta, occæcataque ratione humana. Porro esse in nobis

DE LEGE. FO. XXIII.

legem naturæ Paulus mire eleganti & arguto en-
 thymemate, in secundo capite ad Romanos do-
 cet, cum sic colligit. Est in gentibus conscientia fa-
 ctum defendens vel adcusans, est igitur lex. Quid
 enim aliud est conscientia, quã facti nostri iudi-
 cium, quod a lege aliqua aut cõmuni formula pe-
 titur? Est itaq; lex naturæ sententia cõmunis, cui
 omnes homines pariter adsentimur, atq; adeo quã
 deus insculpsit cuiusq; animo, ad formandos mo-
 res adcomodata. Nam vt sunt in disciplinis theo-
 ricis, vt mathematicis, quædam cõmunia princi-
 pia siue κοινὰ ἔννοιαι ἢ προλήψεις, quale illud est
 totum esse maius partibus. Ita sunt quædam in
 moralibus tum principia cõmunia, tum conclu-
 siones primæ, vtendum est enim docendi gratia
 istorum vocabulis, regulæ omnium humanarũ
 functionum. Has recte vocaueris leges naturæ.
 M. Cicerò in libris de legibus Platonem imita-
 tus ex natura hominis formulas legum deriuat,
 quod vt non damno, ita vrbane magis quã ex-
 acte fieri video. Incidunt autem in eam Cicero
 nis disputationem etiam pleraq; impia, id quod
 fere solet accidere cum methodos potius & com-
 pendia rationis nostræ sectamur, quã diuinarum
 literarum præscriptum. Est enim in vniuersum
 fallax humani captus iudicium propter cognatã
 cæcitatem, ita vt etiam si sint in animos nostros
 insculptæ quædam formæ morum, tamen ex de-
 prehendi vix possint. Quod vero dico leges na-
 turæ a deo impressas mentibus humanis, volo
 earũ cognitionem esse quosdã, vt isti loquuntur,
 habitus concreatos, non inuentam a nostris inge-
 nijs, sed insitam nobis a deo regulam iudicandi

Esse legem naturæ.

Quid lex naturæ.

Periculo-
 sum sequi ta-
 tionem.

DE LEGE.

de moribus. Id vt conueniat cū Aristotelis philo-
sophia non laboro. Quid. n. ad me quid senserit
ille rixator? Omitto autē ea quæ cum brutis cō-
munia habemus, vitam tueri, gignereq; & ali-
ud ex sese procreare. quæ in ius naturæ referunt
Iurisconsulti, ego naturales quosdam adfectus
animantibus communiter insitos uoco.

Legum autem quæ proprie ad hominem per-
tinent, hæc videntur esse capita quæ subiecimus.

- I Deus colendus est.
- II Quia nascimur in quandam vitæ societatem, ne-
mo ledendus est.
- III Poscit humana societas, vt omnibus rebus com-
muniter vtamur.

Posteriores duas leges facile colligat argumen-
tis humana ratio. Primā legem, quomodo colligi
gere possit, non video, sic occæcata, post Adæ lap-
sum. Videmus em̄ ingeniosissimos quosq; in eo
fuisse, vt nihil esse deū sentirent. Id quod vel Plu-
tarchus in philosophorū placitis, vel Cicero de
diuinatione testabitur. Proinde quantū intelligo,
nihil certi de deo statuere mens humana per sese
potest. Non percipit em̄ animalis homo ea quæ
sunt spiritus dei. Certe de potentia & voluntate
dei iudicare per sese ratio non potest. Vt inter na-
turæ leges hæc numeretur, aliorum esto iudiciū.
Nam fide intelligi creationem Heb. xi. scribitur.

Secundā legē, qua cauet, ne quis ledat, nō du-
bitū est colligi ex necessitudine cōmuni, qua oēs
omnibus deuincti, copulatiq; nascimur, vt scrip-
tura iudicat cū inquit, Non conuenire, vt homo
solitarius degat, sed addendum ei esse auxilium
vitæ. Iubet itaq; lex ne quis ledatur, hoc est, vt

certatim inter nos amemus omnes, vt beneuolentiam nostram studio & officio omnes experiantur. Itaq; hæc lex complectitur diuinas, ne quæ occidamus, ne rapiamus aliena & similes,

Si dicas, cur igitur Magistratus, fontes occidunt? Respondeo. Quandoquidem ea est rerum humanarum conditio, ex quo prolapsus Adam inussit nobis omnibus notam peccati, vt sæpe a malis boni lædantur, adnitendum esse humano generi vt lex de non lædendo in plurimis conseruetur, ideoq; coercendos, refrenandos, tollendosq; esse e medio, qui publicam pacem interturbant, qui innocentes lædunt, quo plures seruari possint, sublatis ijs qui læserant. Manet lex, ne minem læde. At si læsus quispiam fuerit iam hoc agendum est, ne plures lædantur, tollendusq; is qui læsit. Pluris est vniuersam multitudinem seruare quã vnum, aut alterum, ideo tollitur is, qui malum vniuersæ multitudinis vno aut altero facinore mali exempli minatur. Hinc in republica magistratus sunt, hinc fontium poenæ, hinc bella, quæ omnia Iurisconsulti referunt in ius gentiũ. *Ius gentium*

Tertia lex de rerum communione plane ex ratione societatis humani generis oritur. Nam si inter pauculos amicos valere debet quod vulgo dicitur τὰ τῶν φίλων κοινὰ, id est, vt sint inter amicos omnia communia, cur non idem valeat inter omnes homines, siquidem debebant ita inter se oēs cohærere, vt cohærent fratres cū fratribus, liberi cū parentibus, parentes cū liberis. Nã hoc iubebat lex de non lædendo. Sed quia humana cupiditas nõ patit vt cõmuniter omib, vtamur.

DE LEGE.

corrigenda est hæc lex, superiore scilicet, ne quis lædatur. Et eatenus cōmunicandæ sunt res, quatenus permittit pax publica, & salus multitudinis. Nam fere superioribus legibus corriguntur inferiores, & vocanda est vulgaris cōmunio ad modū quendam. Proinde pro tertia lege alia supponenda est. Scilicet res diuidendas esse, quando quidem ita postulet communis multorum salus. Porro quia rerum humanarum ea est cōditio vt aliqua saltem cōmunicatione rerum opus sit, cū deberent esse res natura cōmunes, institutum est vt vsu communicentur, nempe per contractus, emptionem, venditionem, locationem, conductiōnem & cæteros. Et hic cernis quæ sit contractuum origo. Vidit hæc Plato cū in libro quinto de legibus inquit eam ciuitatem optime administrari, in qua quā proxime accedat ad vulgare illud dictum, Amicorum omnia esse communia, adeoq; vbi non modo res inter se ciuū cōmunes sint, sed etiam sua cuiusq; membra, oculi, manus, pedes, os, omniū publicæ vtilitati seruiāt, nec aliud quærendum esse exemplar bene constitutæ rei publicæ, nisi eam ciuitatē in qua possit illud τὰ φίλων κοινὰ obseruari. Sunt itaq; reperi contractus per quos suæ cuiusq; res cōmunicarentur multis, ne nulla prorsus esset rerum cōmunio. Et hæc de generalibus formulis legum naturæ, quas hoc modo potes digerere.

- I Deum cole.
- II Quia nascimur in quandā cōmunem vitæ societate, neminem lede, sed officijs quosuis iuuato.
- III Si fieri nequeat vt prorsus nemo ledatur, hoc agatur, vt paucissimi ledant, sublati ijs qui publicam
licam

licam quietem interturbant, & in hoc magistratus, poenæq; fontibus constituentur.

Res diuiduntur, propter publicam pacem. Cæ III
terū per contractus alij aliorū inopiā subleuent.

Iam qui volet e Poetis, Oratoribus, Historicis adiūgat peculiare sententias, quæ ad ius gentium referri solent, qualia sunt quæ de cōnubijs, de adulterijs, de reddenda gratia, de ingratitude, de hospitalitate, de permutatione rerum, & hoc genus alijs passim leguntur. Nam mihi satis videbatur cōmunissimas formas adnotare. Neq; vero temere qualuis gentium scriptorum sententias pro legibus habeto. Imitantur enim pleræq; vulgares sententiæ prauos adfectus naturæ nostræ, non leges. Qualis est hæc apud Hesiodū.

τὸν εὐλείοντα εὐλεῖν, ἢ βέλ' προσιόντα προσεῖναι.
ἢ δόμην ὅς κεν δῶ ἢ μὴ δόμην ὅς κεν μὴ δῶ.

Nam his versibus amicitiam prorsus vtilitate metit. Tale est & vulgatū illud δός τί ἢ λάβε τί.

Huc pertinet quod vim vi repellendam dicunt, quale illud est apud Euripidem in Ione.

πῶς δ' εὐσέβειαν, εὐτυχοῦσι μὲν, καλὸν
τίμῶν. ὅταν δὲ πλεμίσθ' δράσαι κακῶς
δελή τις, οὐδεὶς ἐμπροσθ' ἔτι νόμος.

Sunt & in iure ciuili, quod ita vocant, pleræq; adfectus magis humanos, quam naturales leges præ se ferentia. Quid em̄ est a lege naturæ alienius seruorum captiuitate? Et inciuiliter nullis nō contractibus prætextitur id quod interest. Sed de his alias. Bonus vir attemperabit ciuiles constitutiones æquo ac bono, hoc est, tum diuinis, tum na

DE DIVINIS

turalibus legibus, contra quas quidquid constituitur, non potest non iniquum esse. Et de legibus naturæ hæcenus, quas si potes exactiore subtilioreque ratione digerito.

DE DIVINIS LEGIBVS.

DIVINAE leges sunt, quæ per scripturas canonicas a deo sanctitæ sunt. Ordines earum tres fecerunt, sunt enim aliæ morales, aliæ iudiciales, aliæ ceremoniales. Morales sunt, quæ decalogo præscriptæ sunt. in quas referat studiosus omnes leges quæ de moribus in tota scriptura proditæ sunt. Quoties enim eadem lex in scripturis repetita est? Est autem observandum hic ne decalogum exponamus de solis externis operibus, partiamurque in cõsilia & præcepta more scholastico, quare paucis percurram legum formulas.

Morales
leges,

Tria priora præcepta, Non habebis deos alienos. Non adsumes nomen dei tui in vanum, Memento vt diem sabbati sanctifices. Non dubium est quin Christus exposuerit per hanc legem. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Videtur autem hoc esse trium illarum legum discrimen, tamen si ad idem omnes pertineant, nempe ad verum cultum dei, vt primum, Non habebis deos alienos, proprie ad adfectus referatur, ne quid amemus, ne quid formidemus præter deum, ne nostris opibus, virtute, prudentia, iusticia, aut vlla plane creatura fidamus, sed sola dei bonitate, qui adfectus a deo nõ sunt in potestate nostra, vt neque quid fiducia, neque quid metus, neque quid amor

LEGIBVS. FO. XXVI.

dei sit intelligatur, nisi a spiritualibus. Ad hanc legem pertinent pleraque in prophetiis literis, de formidando deo, de fidendo in deum, & similia. Mirabiliter autem huius legis verba commendant nobis tum fiduciam tum metum. Nam quod ait, ego sum dominus deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios &c. interminando terret declaratque metuendam esse vim iræ suæ. Rursus cum addit se facere misericordiam in millia his qui se diligunt. An non hic commendans bonitatem suam, exigit ut se amemus, sua bonitate fidamus &c. Omnino autem maiora exigunt, quàm quæ verbis humanis queam consequi. Scholastici docuerunt diligere deum, idem esse, quod velle deum esse, quod audit, non inuidere ei regnum, & hoc genus multa verbis obscurioribus quàm quæ ipsi in suis scholis intelligere potuerint. Neque enim sciri potest quid sit diligere deum, nisi spiritu docente, hoc est, nisi re ipsa spiritu inflammatus experiare. Habes primi præcepti opus, fidere deo, diligere ac timere deum. Hæc adoratio est de qua Christus ait, Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Hunc talē adfectū sua sponte sequetur cultus externus probabilis.

Secundum præceptum, Cauet ne nomen dei temere usurpetur, planeque ut illam ipsam fidem, item metum & amorem dei testemur usu nominis diuini. & sicut prius præceptum adfirmatiuum est, exigens fidem & amorem, ita & hoc adfirmatiuum est, exigitque ut celebremus nomen & gloriam dei, inuocemus nomen dei, profugiamus ad nomen dei, velut ad quendam mutissimum portum, iuremus per nomen dei.

DE DIVINIS

Deut. vi. psallamus secundum Dauidem nomini eius, agnoscamusq; illud Solomonis, Turris munitissima nomen domini, laudemus, celebremus beneficentiam erga nos dei, agamus gratias, planeq; omnia a nobis fiant. vt ait Apostolus in laudem domini. Vides e priore mandato, secundum promanare.

Tertium præceptum iubet, vt sabbatum sanctificetur, vt vacemus a nostris operibus, hoc est, vt patiamur ac tolleremus opus dei, mortificationem nostri. Primum exigit fidem. Secundū laudem nominis dei. Tertium, tollerantiam operum dei in nobis. Hoc præceptum in primis violant, qui prædicant opera moralia, & liberi arbitrii vim. Exigit enim liberi arbitrii mortificationē, & populus noui testamenti, cum habeat perpetuum sabbatum, is est cuius caro assiduo mortificatur, spiritus viuificatur. Ignorantq; tum sabbatum tum Christianismum, isti liberi arbitrii adfertores, & inimici crucis Christi, suis se operibus, suis conatibus iustificantes. Exemplū eius sequitur q; in sabbato ligna collegerat. Nume. xv.

Vides itaq; tria præcepta, Deo fidendū esse, Laudandum esse deum, & tollerandū eius opus in nobis, comprehendī hac sententia, Dilige deū ex toto corde &c. Nam qui sic diligit, is haud dubie fidei, timet, laudat, toleratq; ardentissimo spiritu. Non institui exponere legem, id em̄ quomodo posset per compendium fieri? Sed hæc volui monere, quo scires errare eos qui non putant exigi a nobis maius aliqd viribus humanis. Qui latiore expositionem præceptorum desiderat, requirat vel a Lutheri libello germanico de hoc

nis operibus. Hic Sophistæ bis errant, Primum, quod censent non requiri seu exigi in hac vita summum amorem dei, sic iudicant & de reliquis adfectibus. Porro hanc sententiam satis clare refutat hic textus, Diligas dominum deum tuum ex toto corde tuo, tota anima tua, tota mente tua. Nam si totum cor sibi deposcit deus, non permittit aliquando creaturæ partem. His utinam contingat Helias aliquis, qui doceat quā infeliciter claudicent, qui cordis partem creaturæ, partem deo tribuendam existimant. Impleri non potest dum in carne viuimus hoc præceptum, at non ideo, non exigitur, sed omnes rei sumus dum non persoluimus quod debemus. Atque hoc est quod supra diximus, omnes homines semper esse reuera peccatores, semperque peccare. Et infra ubi de gratia disputabitur, rursus excutiendum est, quatenus iustificati, quatenus peccatores simus.

Deinde hallucinantur Sophistæ, quod nostris viribus censent impleri posse tum hæc tum reliqua præcepta, nam de externis tantum operibus præcipi arbitrantur, ut ne colamus ceremonijs officisque externis plures deos aut idola &c.. Nos ut de affectibus exponamus legem faciunt ipsa legis verba, Diligas dominum deum tuum ex toto corde. Iam caro sese maxime amat, suis bonis, sua prudentia, sua iusticia fidit. Id est. n. quod ad Ro. viij. ait Apostolus, Caro quærit quæ sua sunt, & non potest legi dei subijci. Non potest igitur amare deum, fidere dei bonitate &c. Magna & incomprehensibilis res est amare deum, nempe hilari pectore & grato complexi per omnia voluntatē diuinam, etiam tum cum damnat & mortificat.

DE CONSILIIS.

Quæso itaq; te Sophista, vtrum inferos velle & perpetuum supplicium natura possit? Quod si neges posse, nega etiam posse a carne deum liberaliter amari.

Reliqua præcepta, quæ secundæ tabulæ dicuntur, exponit Christus, Diliges proximum sicut teipsum, & pleraq; longa oratione in capite. v. Matthæi. Et caritatis leges prope innumerabiles recenset Apostolus cap. xij. ad Romanos. Has vero etiam leges Sophistæ exposuerunt de externis tantum operibus, nempe satisfactum esse legi si cædem non facias, si palam non scorteris &c. Contra Christus exponit legem de adfectibus, idq; adfirmatiue. Lege non occides, præcipit vt simus corde erga quosuis dextro, candido, liberali, exposito ad quæuis officia. Ne malo malum retaliemus, ne litigemus de rebus nostris. Breuiter ne resistamus malo, deniq; vt amemus etiam inimicos idq; liberaliter & candide. Ita legi, Non moechaberis, satisfactum putant, si non designemus flagitiū externo opere. Christus vero sic exponit, vt doceat exigi castitatem & puritatē cordis, ita vt necq; cupiamus turpia. Reliqua in Euāgelio per sese diligens lector obseruabit.

DE CONSILIIS.

EST & hic fœde ac impie erratū a Sophistis cum ex lege diuina fecerūt consilia, hoc est, docuerunt quædam non exigi a deo necessario, sed suaderi tantum, vt si cui libeat, obtemperet, liberantq; periculo eum qui non obtemperet, Recensent autem inter consilia ea fere, quæ

DE CONSILIIS. FO. XXVIII.

sunt in capite. v. apud Matthæum, Diligere inimicos, non resistere malo, nescire lites & contentiones fori, de male merentibus bene mereri, donare, mutuo dare cuius egenti, desperata etiam forte. Hæc omnia exigi dicimus & inter præcepta numeramus. Christus enim palam damnat eos, qui non diligunt nisi amicos, cum gentibus & publicanis æquat. Itē eum qui irascitur proximo, aut qui fastidit proximum racha dicens, iudicij reum facit. Quod si consulebat tantum, ne irasceremur, quid interminabatur iudicium? Si liberum est irasci offendenti, aut nō irasci, cur pœnas intentabat? Exigit qui pœnas intentat non confuit. Præterea cum præceptum sit diligere proximos, an non illa omnia, quæ isti inter consilia numerant, amor complectitur. Et Paulus in cap. xij. ad Romanos, hæc omnia refert in legem, Diligas proximum sicut teipsum. Et. i. iohan. iij. Filiioli non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate, id est, & ab animo, candideq; diligamus, & illum amorem nostrum testemur studijs ac officijs. Iam si inter leges numerant, quod scriptum est, Non concupisces &c. cur non habent pro legibus ea quæ complectitur. An non concupiscentiæ opus est irasci inimico, rem vindicare, nolle pecuniam periclitari apud inopem. Fateantur igitur & hæc præcipi, siquidem præcipi videt ne quid concupiscamus. Deniq; cur nō totā legem, consiliū interpretant, siquidem partē legis refigunt? Sed inquires. Actū est de mea re famulari, si cuius largiendum est. Respondeo, hoc a carnis prudentia prætexi cupiditati tuæ. Nam spiritus iudicabit facile, quatenus largiendum sit,

Vide secundæ ad Corinthios, viij.

D iij

DE CONSILIIS.

& libenter suo carebit modo subuentū sit inopie
fratris. An ignoras deberi proximo, quod velles
tibi fieri? At omnium iniuriæ obnoxij erimus si
vindicare non licet? Recte, Nam hæc vita cru-
cis est, vt iniuriæ sis obnoxius. Rapiant nostra
mali, si repetere iudicio non licet? Hoc magistra-
tus intererit cauere, ne damnum det ciuis ciui, tuū
est boni consulere, hoc genus casus. Sed quid ego
argumenta carnalis prudentiæ diluere conor? cū
fieri nequeat vnquam vt probet legem diuinam
nisi qui spiritualis est. Quid, cur præceperit Chri-
stus non intelliges, ni libeat facere. Imposuerunt
etiam huiusmodi carnales argutiæ sophistis, cum
parum ciuile videretur omnium opes ita vulgari
vt non liceret vindicare suum cuiq;. Inhumanū
etiam habebatur, ignauis fructui esse ocium, si ali-
enis opibus frui tuto possent. Hinc e præceptis cō-
silia facta sunt, & recepta est pestilentissima opi-
nio, nō posse res publicas administrari iuxta Euā-
gelium, quasi tale aliqd tradiderit Christus, quod
ad pauculos tantum monachos, & non potius ad
vniuersum genus humanum pertineat. Quid, nō
oportet esse cōmunius Euangelio, quod Christus
vniuersæ creaturæ prædicari iussit. Diluit autē &
Augusti. in Epistola ad Marcellinum, quæ in or-
dine Augustinianarum Epistolarum quinta est.
hoc genus carnales calumnias aduersus legē qua
vincta prohibetur. Porro non vetat scelera pu-
niri a magistratibus. Immo hi gerunt gladium ad
terrendos malos, vt Apostolus Roma. xij. dicit,
sed vetat ne nos priuatim, cupiditate vindictæ,
mutuo conficiamus. Magistratus interest cauere,
ne damnum accipiat respublica, Tuū est priuatā

DE CONSILIIIS. FO. XXIX.

Iniuriam ferre ac dissimulare. Fortassis autē hæc de re infra copiosius disputabitur,

Paupertas Christiana, non consulitur, sed exigitur præcepto. Est autem ea, non, nihil possidere sed ita possidere, vt alienæ rei procuratorem te agere sentias, non tuæ. Matth. v. Da omni petenti. Et Ephes. iij. Laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem paciēti. Hoc vult in Euangelio dominus, cum ait, Vade, vende omnia quæ possides & da pauperibus. Volebat illū sic esse pauperem Christus, vt largiretur. Nunc nos paupertatem vocamus, mendicitatem. Exigitur paupertas, & labor parandæ rei, non nostra, sed fratrum causa.

Exigitur & obedientia, non ea tantum, quæ singuli singulis honorē cedere debent iuxta Apostolum Roma. xij. sed & ea, quæ magistratibus parentibus & præceptoribus debetur, cuiusmodi fere est monastica illa. Stulte ergo fingunt se supra legem dei consilia etiam implere.

Est autē in Euangelicis literis consilium, id est quod sciam, vnicum de coelibatu. de quo Christus ait, Qui potest capere capiat, Matth. xxi cap. Et in priore Epistola ad Corint. cap. vii. Paulus, De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do, tanquā misericordiam consecutus a domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonū esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori, noli quærere solutionem, solutus es ab uxore, noli quærere uxorem &c. Non est autē quod hic disputes, vtrum consilia sint superiora præceptis, Scholasticorū sunt istæ ineptiæ, qui neque quid

D V

DE MONACHORVM

præceptū, neq; quid consiliū esset, intelligebāt. Nō. n. mplet præceptū de nō mœchādo, quantū uis cœlebs. Quando nō potest fieri, vt nō irritet cōcupiscentia, quantū uis castum. At præcepto cōcupiscentia phibita est, cui fieri potest vt propius respondeat aliqs coniugū, quā alicubi uirgines.

DE MONACHORVM VOTIS.

QUONDA M scholæ monasteria erāt ubi sua sponte cœlibes degebant scholastici, & quādiu libebat, cōmuniter omnib. rebus inter se discipulū utebant, parebāt liberaliter præceptorib. vna psallebat, orabat, disse- rebatur, habebaturq; totum genus vitæ, nō pro peculiari quodā Christianismo, seu pro statu per- fectionis, sed pro imperfectorū, pro adulescen- tiū tyrociniō & rudimēto. Postea degenerantib. vt sit hominū moribus, legib. primū, deinde vo- tis obstringi ceperūt, qui se ad monasteria cōtule- runt. Hic disputari solet, de votorū obseruatione ac dispensatōe. Qua de re copiose Lutherus disse- ruit. Nos breuiter indicabimus sententiā nostram.

- I** Impietas est, vouere per infidelitatē, hoc est, si ideo voueas, q; hoc opere iustificari velis, scilicet ignorans sola gratia per Christum iustificari cre- dentes. Sic Aquinas docuit, votū etiā baptismo æquans, Sed contra Paulus, pronunciat peccatū esse, quidquid non fit ex fide. Nō est igitur votū si quid voueris impie. Itidem impia vota sunt, si ventris causa, vt plurimi solent, voueris, Quare utrū seruanda sint, non est quod disputetur, cum votum non sit coram deo, quidquid impium est.
- II** Vt maxime pie voueris, vt si qs voueat absti- nere vīno propter adfligendā carnē, nō quærens

ed opere iustificari, & credens fide nō ficta iustifi-
 cari se sola gratia per Christū, nō sic tamē obligat
 votū quin rescindi possit, si res postulet. Sicut. n.
 Dauid dispensabat de lege diuina, edēs panes pro
 positionis. Ita dispensare de quauis ceremonia ex-
 terna potest fides. Non. n. plus obligat te votū, q̄
 Dauidē lex diuina. Dominus est autē filius homi-
 nis etiā sabbati, Matth. xij. Cætera requires a Lu-
 thero. Et infra de libertate Christiana latius dice-
 mus. Nā præter iustitiā spiritus nihil requirit Euā-
 gelium. Externis spiritus pro suo arbitrio vtitur.

DE IUDICIALIBVS

& Ceremonialibus.

SVPER SVNT iudiciales & ceremonia-
 les leges, de qbus nō adinet in cōpēdio plu-
 ra dicere. Iudiciales de iudicijs, pēnis, adeoq̄
 de forensib. causis in literis diuinis populo iuda-
 co proditæ sunt. Hoc genus leges ignorant Euāge-
 licæ literæ, Nā ad Euāgeliū pertinet iustitiā spiri-
 tus prædicare, de vsu rerū externarū, et huiusmo-
 di iudicijs nihil statuit, quāq̄ gladij ius adprobet.

Ceremoniales de ritibus sacrificiorū, de dierū
 discrimine, de vestibus, de victimis, deq̄ hoc ge-
 nus alijs proditæ sunt. In quibus nō dubiū est quin
 sint adumbrata mysteria Euangelij, vt docet epi-
 stola ad Hebræos. Itē loci aliquot ad Corinth. &
 testant idē prophetarū literæ alicubi, qui fere ty-
 pos legis ἀλλογοῦσις ad euangelica mysteria ac-
 comodarunt. Quasi sunt in psalmis pleiaq̄. Pro-
 inde in hoc genere requirendæ sunt allegoriæ, sed
 prudenter. Nam hic plusquā pueriliter in-eptiunt
 etiam magni sæpe auctores. Nec allegoricam in-
 terpretationem admittunt, nisi ritus & facta,
 in hoc prodita, vt essent signa aliarum rerum,

DE IVDICIALIBVS.

vt sacrificia pontificatus Leuitici in hoc prodita sunt, vt essent signa sacerdotij Christi. iam infœliciter tractabit allegorias, nisi qui vniuersæ scripturæ peritissimus est. Facile autē iudicabit spiritus, nōnuncq; sensus cōmunis, quatenus & in quā partem liceat allegorijs vti. Nec illæ parum conducunt ad intelligendā vim tum legis tum Euangelij, modo apposite tractentur. Id quod ostendit Epistola Hebræis inscripta, quæ Aharonem cū Christo comparans, mirum est, quā clare ob oculos ponat Christum, quā proprie doceat, quid beneficiorum per Christum orbis terrarum acceperit, quid conferat Christi pontificatus humano generi, vt non aliunde iustificemur, nisi per Christi sacerdotium.

Supere est vt de legis vi, deinde & abrogatione dicatur, qui loci in primis hic requirendi sunt, sed quando ea disputatio non potest intelligi, nisi cōferatur lex ad Euangelium. Infra vbi de Euangelio dixerō, simul de vi legis, & abrogatione disseremus. Nunc adijciemus ad hunc locum, quid de humanis legibus sentiri debeat.

DE HVMANIS LEGIBVS.

LEGES humanæ, sunt quæcunq; tandem ab hominibus constituuntur. Et vt nunc habent hominum res, Legum humanarum aliæ sunt ciuiles, aliæ pontificiæ, Ciuiles, quas in re publica sanciant magistratus, principes, reges, ciuitates. Huiusmodi legum auctoritas quæ censerī debeat, docet Paulus ad Roma. xiiij. cum inquit, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi a deo, Quæ vero sunt potestates, a deo

DE HVMA. LEGIBVS. FO. XXXI.

ordinatæ sunt, Itaq; qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes nō sunt timori boni operis, sed mali. Nam magistratum & legum ciuiliū non est aliud officium, nisi punire & arcere iniurias. In hoc sanciūtur leges de rerum diuisione, de contrahendi formis, de pœnis malefactorum. Dei em̄ minister est magistratus, vltor ad iram ei qui deliquerit. Porro, non licet magistratui statuere aduersus ius diuinū, nec obtemperari aduersus ius diuinum debet. Iuxta illud in Actis Apostolicis, Oportet deo magis obedire quā hominibus. Et ex hac sentētia facile æstimabit prudens lector, quatenus humanis legibus obnoxij simus. Dicemus autem infra vbi de hominum conditione agetur, fortasse de magistratibus plura.

Quid autem de pontificijs legibus? quatenus pontifices statuūt de litibus & iudicijs, plane mūdi principes agunt. alioqui quod ad lites & iudicia pertinebat & ipsos sacerdotes subiecit ius diuinum magistratibus ciuilibus, regibus ac principibus. Nunc cōtinentibus principibus, ipsi sibi iura condiderunt, & impia & egregie tyrannica de immunitatibus ecclesiarum, de redditibus suis &c. Hic postulabat charitatis officiū, vt qui sunt opulentissimi, publicam inopiam, cōmuni pecunia & sumptu iuuarent, cum proseribunt & diris deuouent, quisquis postulet a sacerdote tributum, vectigal, aut hoc genus alia quæ in cōmune pro publica necessitate cōferunt. Sed de his alias, satis sit monuisse sacerdotum leges de ciuilibus rebus contra charitatē & per meram tyrannidem conditas esse.

DE HVMANIS

De fide non habent ius neque pontifices, neque concilia, neque vniuersa ecclesia, quidquam mutandi aut statuendi. Sed simpliciter ad prescriptum sacrarum literarum exigendi sunt articuli fidei. Nec habendum est pro articulo fidei, quod citra scripturam proditum est. Primum, ne quid mutetur. Paulus iubet ad Galatas, cum ait, Si quis vobis predicauerit aliud quam quod accepistis, anathema sit. Item qui potest spiritus esse propheticus, qui dissidet a scriptura? Quin potius spiritus mendax est, qui pronunciat aduersus veritatem. Et ad Timotheum, Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Iesu Christi, superbus est. Porro contra scripturam impie multa decreta sunt, de quibus paulo post.

Deinde, non esse habendum pro fidei articulo, quod homines seu Ecclesia, seu pontifex statuit, praeter scripturam, testatur Paulus ad Timotheum. Tu permane in his quae didicisti, sciens a quo didiceris. Referre censet, scire unde didicerimus. Iam quod homines decernunt, qui sciemus unde sit profectum si ad scripturam exigi non potest? nam hoc demum constat a spiritu sancto profectum esse quod scripturae confirmant. Quod praeter scripturas proditur, ambiguum est, vtrum a spiritu dei an a spiritu mendaci proficiscat. Thessalonicensibus praecipit Paulus, vt oia probent, quod bonum est teneant. Et alias iubet probari spiritus, vtrum ex deo sint. Quaesote quomodo probabimus spiritus nisi ad certam aliquam regulam, adeoque ad scripturam exigantur? quam solam certo constat spiritu dei conditam esse. Temere tri-

LEGIBVS: FO. XXXII.

Buitur Concilijs auctoritas condendi articulos fidei, vel hoc nomine quod fieri potest, vt in toto senatu Concilij nemo sit qui spiritum dei habeat. In Samaria prophetabant sacerdotes Baal, & eorum oraculis omnia gerebantur a regibus Israel. Quid mirum si nunc quoque prophetent impij & expertes spiritus dei? Adrogabant idem sibi sacerdotes in Iuda, qui aduersabantur Hieremias & spiritum dei, cum dicerent, Venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta. Quod quid aliud est, quam quod hodie dicit Ecclesia Papistica, Penes nos est auctoritas statuendi, Concilium regitur immediate a spiritu sancto, nec potest errare, sacrae litterae sunt obscurae & ambiguae, penes nos est earum interpretandarum ius & facultas, & hoc genus multa. Iam & palam praedictum est fore, vt errent principes Ecclesiae, Ezech. viij. Lex peribit a sacerdote, & consilium a senioribus. Et Matth. xxiii. Surgent pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna &c. Deinde vt maxime spiritum dei habeat senatus Conciliorum, errare tamen posse indicat scriptura Ezech. xiiii. Propheta cum errauerit & locutus fuerit verbum, ego dominus qui decepi prophetam illum. Et in. iij. Regum capite vltimo, Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Et quod attinet multis rem agere, Paulus ait se non adqueuisse carni & sanguini, nos carni & sanguini credamus? Quaeso te cur Nicenae Synodo potius quam Ariminensi credis? Num quia eam Ro. pontificis

DE HUMANIS

comprobavit auctoritas? At hac ratione pontificis auctoritatem & concilio et scripturæ præfers, quod non modo impium, sed & stultum est. Cur enim Antiochenam Synodum probas, quæ Paulum Samosatenum negantem Christi diuinitatē, damnauit, cum res omnis citra Romani pontificis auctoritatem gesta sit? In Alexandrino concilio vbi de tribus hypostasibus diuinis decretum est aduersus Sabellium, nulla fuit mentio Romani pontificis. In Concilio Niceno Romani pontifices nusquā fuisse leguntur. Constantinopolitanæ Synodi scriptores Græci, Item Ephesinæ, nullam fecerūt Romani pontificis mentionem, vt verisimile sit, aut non interfuisse Synodis illis, aut certe non præfuisse. Neque vero raro erratum est & in his Synodis, quibus præfuerunt Romani pontifices. Stephanus. vi. Formosi pontificis acta rescidit auctoritate concilij. Huius sententiam Iohannes. x. rursus damnauit Rauennæ comitijs. Hic cum pugnent inter se Synodi, necesse est alteram errasse. Lugdunense concilium quia libros decretalium comprobauit, pro impio haberi debet, nempe quia in illis tam multa crudelia & impia constituta sunt. Porro Papisticis comitijs pene nihil videmus actum præter causas tyrannidis Romanæ, de subigendis Imperatoribus. de tuendo patrimonio Petri, de augendis sacerdotum opibus, de opprimenda græca Ecclesia. Palsam hæretica est cōstitutio, ad abolendam de hæreticis, quæ execratur omnes qui de sacramentis aliter sentiunt, aut docent, quā vel docet, vel obseruat ecclesia Romana. Nec enim sunt hæretici, græci, qui in plerisque variant a Romanæ ecclesiæ ritibus,

ritibus, & traditionibus. Impia sunt quæ de indulgencijs decreta sunt in plerisque Concilijs. Damnavit Constantiensis Synodus cum alia, tum sententiam Evangelicissimam, de discrimine operũ. Omne opus bonum esse, aut malum, non indifferens, iuxta illud Evangelij, Aut facite arborem bonam &c. Et quid attinet multa cõmemorare, cum extent abominabiles pontificiarum legum codices, e quibus decerpe quantum voles. Hæc ideo adnotauimus, vt moneremus temere receptam esse opinionem illam vulgarem, qua iactari solet, Concilia non posse errare. Proinde cum constet luce meridiana clarius & errasse sæpe concilia, & errare posse, quæso te lector, cur tandem pro fidei articulo haberi debet, quod a concilio citra scripturæ suffragium decretum est? Quando quidem perspicuum est errare posse concilia, cur non exiguntur eorum decreta ad scripturam? Absit a Christiana mente, vt articulum fidei condere arbitretur eum, quem non sit certum fallere, aut falli nõ posse. Negat Petrus priuatæ, hoc est, humanæ expositionis esse scripturæ interpretationem. Nos hominibus permittemus articulos fidei cõdere? Quin scripturã præeuntẽ, & vt Petrus ait, λύχνος φαίνοντα ἐν ἁ υχμηρῶ τόπω sequimur? maxime cum neget propheta futurã lucem matutinam ijs, qui non e legis & testimonij iudicio pendẽt. Notus locus est in octauo cap. Esa. Huc etiam Pauli locus pertinet in priore ad Corinthios, vbi de doctrina Christiana differit. Fundamentum aliud poni non posse, præter id quod positum est, hoc est, ad salutem nullam doctrinam, nullos articulos necessarios esse, præter

E

DE HUMANIS

scripturam, Quæ superstruuntur ait diem domini probaturum, Quod si probanda sunt in die domini, cur recipiuntur non modo, pro probæ monetæ doctrina, sed pro necessaria etiã ad salutem? Decretum est de transubstantiatione panis in corpus Christi, in sacramento, decretum est de Papæ primatu, idq; contra veterum synodorum constitutiones. Quæ cum citra certum scripturæ suffragium prodita sunt, quid est, cur pro certis dogmatis recipiant? Apostoli in Actis & ubiq; Paulus, doctrinam suam, auctoritate scripturæ comprobant. Christus sibi fidem per scripturas facit, cum iubet vt scrutemur scripturas quæ de se testimonium perhibent, cum ait, patrem sibi suffragari, & duorum testimonium recipiendum esse, & hoc genus multa. In Deuteronomio præcepit dominus, ne ad iatur ad verbum suum aut detrahatur, quæ sententia palam docet nemini fas esse, id pro articulo fidei docere, quod non certo sciat diuinum verbum esse. Prophetæ, Christus, Apostoli, certo sciebant dei verbum esse, id quod docebant. Ideo sibi, immo suæ voci credi volebant.

Hæc mihi plane persuadent, nihil pro articulo fidei habendum esse, quod non palam scriptura docet. Vt rumpant interim Parisienses, qui in sua illa inepta, et impia cōdēnatione Lutheri, principia fidei vocāt conciliorū, & scholarū dogmata. De diuinitate filij credo Niceno concilio, quia scripturæ credo, quæ Christi diuinitatē tam clare nobis probat, vt ne Iudæi quidem tergiuersari possint, quantumuis cæci, quo minus Messia diuinitatem tribuant. Locus est apertus præter alios.

In capite. xxij. apud Hieremiã. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Deus iustus noster. Sic iudicandum puto per scripturam & de reliquis synodis.

At de moribus constituet Ecclesia, item de ceremonijs? De moribus non video, quid sit constitutum a pontificibus, aut synodis, nisi fortasse ad mores pertinent leges papisticæ, de bellis, litibus, cœlibatu, quæ si ad regulam Evangelicam exigantur, quid minus pium vel a Scythis potuit constitui.

Sed de ceremonijs dicemus, quas suum regnum putant Papistæ. Principio, ut vno fasce completar & moralia, & ceremonias, non licet Episcopis quidquam mandare præter ea quæ diuinis litteris prodita sunt. Misit enim Christus Apostolos docere, quæ ipse tradiderat. Matthæi ultimo, Docentes eos seruare omnia quæ mandauit vobis. Adimit igitur potestatem novas leges, novos ritus condendi. Non præcipit Christus Apostolis docere, nisi Euangelium. Vnde igitur probabunt Episcopi ius sibi esse condendi leges? An ex hac sententia, cum ait, Qui vos audit, me audit? At in decimo cap. prophetam vult nomine prophetæ recipi. Non vult igitur recipi pseudoprophetam, hoc est, eum qui humana cõmentata, traditiones hominum docet.

Nam hos scriptura vocat somniatores. Quæ so autem vos Solones Papistæ, ac νομοδῆται, vel syllabam e scripturis producite, quæ vobis auctoritatem faciat, condendi leges? Adimit autem scriptura facultatem condendi leges, cum præcipit, ne quid vel addat, vel detrahatur legi dei. Adimit & Paulus, cum vocat spiritus ministros,

E ij

DE HUMANIS

Episcopus noui testamenti. Nam minister spiritus est, qui per legem dei omnium corda damnat, & consolatur rursus per Euangelium, efficax spiritu dei. Ad eam functionem quid quæso faciunt traditiones humanæ, quæ de externis tantum operibus iudicant. Damnant traditiones scriptura sapius, quam ut obscurum esse possit, quid de eis sentiat. Hieremias. xxiiij. paleas vocat. Quid paleis ad triticum? item mendacium, item somnia. Esaias vomitum sordium, scoriam, Ezechiel fornicationes, carnes asininas, hippomanes. alij prophetae, aliter. Paulus blandiloquentias seu $\chi\eta\sigma\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$. Et ut multa omittam, indicat Paulus unde profisciantur traditiones humanæ in priore ad Timotheum. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos deus creauit. Viden spiritum fallacem auctorem esse traditionum de coelibatu, de discrimine ciborum &c. At quid aliud sunt pontificij canones, nisi traditiones de coelibatu, de ciborum discrimine, & de similibus nugis. Matth. xv. Frustra colunt me mandatis hominum, quæ locum ex Esaiâ repetit Christus.

Quid igitur, quomodo obstringunt conscientias traditiones humanæ? peccant ne, qui violant hominum constitutiones? Respondeo, Ita ferendas esse pontificum leges, ut ferimus quamcunque iniuriam, aut tyrannidem. Iuxta illud Matth. v. Qui te adegerit ad mille passus, va. te cum illo &

alia duo. Sunt autem eatenus ferendæ, quatenus non periclitatur conscientia per eas, Actuum. v. Oportet deo magis obedire quã hominibus, vt cum fidem obscurant traditiones, cū occasio sunt peccato, violandæ sunt, nec peccat qui citra scandalum iuditio spiritus violat. Dicemus autem de scandalo postea. Habes autem non obscuras sententias scripturæ, quæ docent, non obstringi conscientias traditionib. humanis. i. Corint. iij. Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, id est, Nec Paulus, nec Zepha habet auctoritatem obligandi conscientias vestras. Et clare in eadem Epistola capite. vij. Precio empti estis, nolite fieri hominum serui, at fiunt hominum serui, quorū conscientijs libertas per traditiones est erepta. Nã vt Christiana libertas est, conscientia libertas, ita Christianorum seruitus, est conscientia seruitus. Apertissimus locus est in Colossensi Epistola, Siquidem vna cum Christo cōmortui estis, quid adhuc tanquam viuentes mundo, traditionibus vexamini, & subiicit *μικροκωσ*, illorum traditiones repetens. Ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitū ipso vsu secundum præcepta & doctrinas hominū, quæ sunt rationem quidem habentia sapientia, in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo, qui debetur necessitati carnis. Hieremie. xxiij. vetat dominus ne audiantur pseudoprophetae, quod haud dubie ad eum casum referri debet, vbi conscientia periclitantur. Sic autem inquit, Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiūt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore

E iij.

DE HUMANIS

domini. Habeo in hoc loco adstipulatores etiam recentiores quosdam, & potissimum Gersonem, qui nobiscum sentit, non obstringi conscientias humanis traditionibus, hoc est, non peccare eum qui traditionem humanam violat, nisi intercedat casus scandali. Vellem Bernardum de his paulo liberius iudicasse, vbi de dispensatione scribit. Iudicabit autem certissime spiritus, iuxta illud, Vbi spiritus domini, ibi libertas. Et, spiritus omnia diiudicat, & ipse a nemine diiudicatur.

Qualia sint quæ constituta sunt a concilijs, a pontificibus, non possim equidem recensere, ni velim repetere, & vniuersum ius canonicum, & totam rerum ecclesiasticarum historiam. Verū pauca exempla huiusmodi traditionum repetemus, e quibus æstimari possit, id quod toties monet scriptura, nihil perinde pietati aduersari, atq; hominum doctrinas. In Synodo Nicena constitutæ sunt quædam pœnitentiæ formæ, non pronuncio, quo spiritu decreuerint patres, at video bonā Euangelij partem, immo vim germanam Euangelij obscuratam esse ea traditione. Nam inde primum natæ sunt satisfactiones, quæ principio fortasse tolerabiles erant, cum adhuc purior esset Euangelij intellectus penes Ecclesiam, sed paulo post ex satisfactionibus, quæ conscientiarum carnificina facta est? Obscurata gratia est, & quod Euangelium fidei tribuit, coeptum est satisfactionibus tribui, quo quid est & impiū magis, & perniciosius? Et his malis certe occasionē dedit Nicena synodus. Quanto satius fuerat, sequi Pauli exemplum in formis pœnitentiæ, qui circa omnē satisfactionem, moechum illum Co-

L E G I B V S. FO. XXXVII.

Corinthium, vbi resipuit, recepit, monens etiam, vt est in posteriore Epistola ad Corinthios, sufficere obiurgationem. Porro, nostrorum temporū Theologaltri secuti priscam traditionem Synodi Nicenæ, fecerunt ex satisfactionibus partem pœnitentiæ, quo errore plane nō est alius nocentior

Quid negocij fecit etiam piorum consciencijs confessio illa papistica, quot millia animarum illa sola perdidit? Cum Paulus Corinthios cauere voluerit, ne nimia tristitia adfligeret mœchus ille. At pontifices Ro. quorū inuentum confessio est, quæso, qd aliud agūt, quā vt miserrime & crudelissime diuexēt pavidas & vere pias cōscientias?

Iam in tot genera viuendi scissus Christianismus, quid refert Christianæ caritatis & simplicitatis? Alij laici, alij monachi, alij clerici sunt, & in his innumeræ sectæ sunt, quæ tolerari possent fortasse, nisi & stultitijs, & ambitione certaretur. Deinde quibusdam viuendi generibus addita est intolerabilis sarcina, Coelibatus, actūq; de coelibatu est, etiam in Nicena synodo, Quid autem per seam traditionem profectum sit, nihil attinet referre, quando non alio consilio vulgari libidines indulgentius potuere. In cap. viij. ad Corinth. vbi de virginitate disserit Paulus, nihil audeat præcipere, ne laqueū inijceret, vultq; hoc deligi, per quod possint seruire deo absq; vlla distractione, & assiduo, *εὐπρόσεδροι ὅτι κενὸν καὶ ἀπεργασώμεθα*. sic enim inquit Apostolus, at qui minus assidui, seu *εὐπρόσεδροι* sunt, qui vehementius a deo diuellunt, quā, quos vrunt flammæ carnis. Hæc prospiciēs Paulus nō præcipit coelibatū,

DE HVMANIS

immo & ad Timotheum scribens, doctrinã dæ-
moniorum vocat traditionem de cœlibatu. Vi-
cit Satan, & recepta lex est, & vulgata in tot ho-
minũ millia magna cum pernicie rei Christianæ.

Iam & Eucharistia ablegata est ad peculiare
quoddam genus hominum, ad sacerdotes, & qui
cõmunis esse volebat omnium piorum Christus,
iam a solis sacerdotibus vsurpat, atq; ita & Mi-
ssæ fructus, & vis Eucharistiæ prorsus obscurata
est, nec aliud nunc est Eucharistia, nisi nundina-
tio sacerdotũ, cũ repertum est a Satana, oportere
tales sacerdotes esse, qui pro populo sacrificent,
Missas vulgo vendi posse, & huiusmodi alia. Nõ
perisset Missæ vsus, ni scissæ fuissent viuendi cõ-
ditiones, in sacerdotes & laicos. O horrendam &
abominabilem impietatem, quæ regnat hodie
in Papisticis Missis.

Et quid attinet multa cõmemorare? vides in
his exemplis nullam fuisse tam piam traditionẽ
in speciem, quæ non magno malo fuerit rei Chri-
stianæ. Quid. n. videt magis conuenire, quã vt
sint in Ecclesia publicorum scelerum satisfactio-
nes? at illæ obscurarũt gratiam. Quid magis de-
cebat, quã Episcopos cœlibes degere? at per eum
cœlibatum via libidinibus facta est. Quid reue-
rentius, sic enim iudicant homines, non spiritus,
quã non vulgari vsu Eucharistiæ in quosuis?
At ita Missæ fructus perijt. Ita fit, vt traditiones
habeant quidem rationem sapientiæ, sed ea ipsa
species, ille ipse impiæ ac sceleratæ Iezabelæ fu-
cus lædit.

DE EVANGELIO.

HACTENVS peccati formam, & legum rationem, breuius fortasse, quã pro re tractauimus, non enim cõmentarium scribimus, sed vulgarem quandam locorum formam adumbramus, quos in discendis sacris literis sequaris. Nunc de Euangelio & gratia disputabimus, e quibus locis nonnihil accedet lucis etiã superioribus. Nam de legis abrogatione, de vi legis dilata disputatio est in hunc vsq; locum. Porro, vt peccati ratio nisi ex legum formulis, nõ intelligitur, ita nec gratiã vis, nisi ex Euangelij descriptione, cognosci potest. Et vt hactenus egimus de hominis damnatione, seu maledictione, ita nunc agemus de hominis instauratione, seu benedictione. Duæ in vniuersum scripturæ partes sunt Lex & Euangelium. Lex peccatum ostendit, Euangelium gratiam. Lex morbum indicat, Euangelium remedium. Lex mortis ministra est, vt Pauli verbis vtamur, Euangelium vitæ ac pacis. Lex virtus peccati est, Euangelium virtus salutis omni credenti. Neq; vero ita legem & Euangelium tradidit scriptura, vt Euangelium id modo putes, quod scripserunt Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes. Mofi libros, nihil nisi legem. Sed sparsa est Euangelij ratio, sparsæ sunt promissiones in omnes libros, veteris ac noui testamenti. Rursum leges etiã sparsæ sunt in omnia tum veteris, tum noui testamenti volumina. Nec, vt vulgo putant, discriminata sunt legis & Euangelij tempora. Quamquã alias lex, alias Euangelium, subinde aliter reuelata sunt. Omne tempus, quod ad mentes nostras adinet, est legis, atq; Euange-

E V

DE EVANGELIO.

In tempus, sicut omnibus temporibus eodem modo homines iustificati sunt, peccatum per legem ostensum est, gratia per promissionem seu Evangelium. Reuelationis tempora variant, nam alias lex, alias Evangelium, & subinde aliter, reuelata sunt, id quod e scripturis constat. Vides. n. praeter naturalem legem, quae impressa est mentibus humanis, ut opinor, etiam leges latas esse a deo, Adamo, ne delibaret poma arboris scientiae boni ac mali. Caino, ne irasceretur fratri suo. & eidem, peccaturum, qui se occideret. In hunc modum legis naturae cognitionem instaurabat praedicatione continua spiritus dei, quae iam obscurabatur, excacatis peccato mentibus humanis, ita ut mihi pene libeat vocare legem naturae non aliquod congenitum iudicium, seu insitum & insculptum natura mentibus hominum, sed leges acceptas a patribus, & quasi per manus traditas subinde posteritati, ut de creatione rerum, de colendo deo, docuit posteros Adam, sic Cainum monuit, ne fratrem occideret &c. Sed ad Evangelium redeamus.

Q V I D E V A N G E L I V M.

Sicut lex est, qua recta mandantur, qua peccatum ostenditur, ita Evangelium est promissio gratiae, seu misericordiae dei, adeoque condonatio peccati, & testimonium benevolentiae dei erga nos, quo testimonio certi animi nostri, de benevolentia dei, credant sibi condonatum omnem culpam, & erecti ament, laudent deum, exhilarentur & exultent in deo, ut infra de vi Evangelii dicemus. Porro illarum promissionum omnium pignus est Christus, quare in eum referendae sunt omnes scripturae promissiones, qui obscure primum, postea subinde clarius reuejatus est.

DE EVANGELIO. FO. XXXIX.

Posteaquã Adam deliquerat, & iam morti æternæ destinatus erat, perisset haud dubie ni dominus eum promissione gratiæ cõsolatus fuisset. Tyrannis peccati describitur, cum inquit ad serpentẽ, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Et statim victoria promittitur. Ipsum semen mulieris conculcabit caput tuum. Rectius. n. meo iudicio refertur pronomen, eo loco, ad semen, quã ad mulierem vt in nostris codicibus legitur. Ea prima promissio est primũ Euangeliũ, quo subleuatus Adã, concepit certam suæ salutis spem, adeoq; & iustificatus est. Deinde facta est promissio Abrahæ, futurum vt in ipsius semine benedicerentur ocs gentes, quæ certe nisi de Christo intelligi nõ potuit, estq; hic Abrahæ sinus, in quem qui recepti sunt, seruari sunt, id est, seruari sunt, qui promissioni illi, quæ Abrahæ facta est, crediderunt. Atq; hæc promissio est, quã vbiq; iactat scriptura noui testamenti. Poterit diligens lector omnes promissiones de Christo in hunc locum congerere. Quæ plane non aliud sunt, nisi Euangelium, Deuterono. xvij. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. In secundo volumine historie Regum cap. vij. promittitur Dauidi Christus, Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vq; in sempiternum.

DE EVANGELIO.

Et ob hanc promissionem filius David Christus adpellatur a prophetis. Immo Dauidem etiã ezechiel nominat. Prophetæ in totum & legem repetunt, & Christum promittunt. Proderitq; piæ menti subnotare, & in promptu habere promissiones diuinas, q; ad confirmandas, erigendasc; conscientias mire efficaces sunt.

Et in hunc modum reuelauit deus Euangelium statim post Adæ lapsum, & subinde clarius aperuit, donec exhibuit Christum. Id est quod scribit Paulus ad Ro. i. In Euangelium filij sui, quod iam ante promisit per prophetas, in scripturis sanctis, de filio suo. Et literæ nostrorum Euangelistarum, non aliud agunt nisi vt testentur exhibitas esse promissiones. Atq; id est, cur sic ordiatur Matthæus, Liber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham. Vocoq; Euangelium promissionem gratiæ, benedictionis, beneuolentiæ dei per Christum. Sunt in scripturis, præter hanc promissionem æternæ benedictionis, etiã promissiones rerum temporalium. qualis est ea, quæ facta est Nohæ, quales pleræq; sunt in lege, de terra, de opulentiâ &c. quæ non modo figuræ sunt spiritualium promissionum, sed per se sunt testimonia gratiæ & misericordiæ dei, ita, vt cõsolentur & erigant conscientias nostras, vt deum glorificent. Et de his quidem promissionibus infra agetur, vbi de fide dicemus, quæ fides, & quo modo iustificet.

Vides consilium diuini spiritus in scripturis, quam suauiter, quã blande erudiat pios, vt nihil aliud agat, quã, vt saluemur. Tota scriptura alias lex est, alias Euangelium, Libri Mosi alias legē

DE EVANGELIO. FO. XL.

tradunt. alias Euangelium, adeoꝛ Euangelium Discrimenli
 intra ipsam etiam legem abditum est. Quid em̄ brorū totius
 magis Euangelicum reperias quā promissio illa scripturæ.
 est, quā spiritus dei, pro αἰολογία primi præ-
 cepti subtecit. Faciens misericordiam in millia his
 qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Et
 vide ex legislatore Mose, quomodo Euangelista,
 hoc est, gratiæ & misericordiæ præco subito fa-
 ctus sit: cum inquit in Exodo cap. xxxiii. Domi-
 nator domine deus, miserator & clemens, paciēs
 & multæ miserationis, ac verax, qui custodis mi-
 sericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, &
 scelera, atq; peccata, nullusq; apud te per se inno-
 cens est. Da in omnibus noui testamenti literis,
 magis Euangelicā contentionem. Et ad hunc mo-
 dum alias legem, alias Euangelium Mosaici li-
 bri docent. Nihil iam de figuris loquor, sed de ijs,
 quæ palam litera præ se fert. Nam illa potissimū
 spectanda sunt. Historiæ sacræ, alias legum, alias
 Euangelij exempla sunt. Nam ad leges haud du-
 bie pertinet horrendus Saulis casus, Ad Euange-
 lium Dauid, qui cum oppressisset Vriæ vxorem,
 tamen gratiam impetrauit, fuitq; plane Euange-
 lica vox, illa prophetæ denunciatio. ij. Reg. xij.
 Dominus sustulit peccatum tuum, Non morieris.
 Ad eum modum de similibus exemplis iudican-
 dum est. Prophetæ legem docent, cum insectant
 hypocrisin, cum impietatem, securitatem, & hoc
 genus alia. Nam obscura vicia, seu hypocrisin po-
 tissimum reprehendunt, Euangelium quoq; de-
 nunciant, quoties illis suis viuacissimis promissio-
 nibus de Christo erigunt labefactatas conscien-
 tias, animant atq; ita implent, vt plane id Apo-

A



DE EVANGELIO.

stolicum sonare possit. Quis separabit nos a dilectione dei? Literæ Apostolicæ Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis, ad eundem modum alias legem, alias promissiones tradunt, & in his exempla tum gratiæ, tum iræ dei. Zachei, Centurionis, Syrophœnissæ exempla, misericordiam testantur. Pharisæorum cæcitas & furor exemplum est iræ dei. Quanquã hoc differunt historiæ Apostolicæ a veteribus, quod testantur exhibitum Christum, quæ veteres tantum promiserant. Deinde promissiones de gratia, iusticia, vita æterna clarius explicant, quã illæ quondam Mosaicæ, aut propheticæ literæ. Paulus Apostolus *Ἰδὲ ἀπὸ τῶν* Evangelium cum lege, peccatum cum gratia contulit, potissimum in Epistola ad Romanos, quam ego puto vniuersæ scripturæ velut indicem quendam esse *ἡ γὰρ καινὴ*. Reliquæ Epistolæ cum pene *ἡ παλαιά* sint, ad legem pertinent, Quanquã nulla sit, in qua non alicubi attingat Evangelij rationes. Id quod per sese diligens lector animaduertet.

Hæc monuimus ob hoc potissimum, ut vulgatum illum errorem conuelleremus, quæ de discrimine legis, & Evangelij veteris & noui testamenti, prodiderunt impij Sophisticæ theologiæ professores, Mosis Christum successisse, nouamque legem dedisse, quæ noua lex Evangelium vocetur, contineaturque his capitibus, quæ sunt Matth. v. & vi. Inter Mosis legem, ac Christi hoc interesse, quod Mosis lex externa tantum opera, Christi lex etiam adfectus exigat, quasi vero Mosaica lex doceat, quandam hypocriticam & pharisaicam iusticiam. Quid, n. est aliud operum externorum simulatio, quã

pharisaismus? Porro exigi a lege Mosaica adfectus vel prophetæ testentur, qui toties præcipiunt si exigat ad agnoscere deum, timere deum, facere iudicium et effectus. iusticiam, quæ dabunt mihi fortasse Sophistæ, ante Christi incarnationem, & suorum temporum homines docuisse. Quid autem illa Hieremiæ sententia apertius, quàm, velint nolint Sophistæ, referre oportet ad Mosi legem. Ait autem cap. vii. Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustorum, & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audite vocem meam, & ero vobis deus, & vos eritis mihi populus. Dic Thoma quid in mentem venerit, cur doceres Mosaica lege nihil exigi præter pharisaismum, hoc est, externa opera? cum toties etiam Moses exigat nihil obscuris verbis adfectus. Et ut multos locos omittam, nonne vetat concupiscere rem alterius &c. Exodi. xx. Opus iam ante interdixerat cum furari, cum moechari prohiberet. Dabis igitur de adfectu cauere, his verbis, Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum &c. Et Deuteronomij. x. Et nunc Israel quid dominus deus tuus petit a te, nisi ut timeas dominum deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias domino deo tuo, in toto corde tuo et in tota anima tua, custodiasque mandata domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi. Et rursus, Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis &c. Hoc genus in Mose sexcentos locos reperias, ut nihil sit obscurum & adfectus & opera a Mose exigantur.

DE EVANGELIO.

Quamquā quatenus de iudicijs, de puniendis flagitijs publicis statuit, nam hypocrisis humano iudicio coargui non potest, civilis ordinatio est. Sic enim legis natura postulat.

Christus exponit legem

Proinde exponit legem Christus, non enim potest prædicari gratia sine lege, & phariseorum ac scribarum interpretationem reprehendit, cum a principio ait, non ingressuros in regnum cœlorū, ni nostra iustitia superet phariseorum ac scribarū iustitiam. Sic interpretabantur Pharisei, satisfactum legi, non occides, si manu cedem non faceres. Legi, non mœchaberis, si alterius uxorem nō comprimeres. Christus docet cordis adfectus exigi a lege, non externam tantum operum simulationem, Verat enim lex concupiscere. Vindictā lex etiam prohibebat, adeoque exigebat inimicos diligi. Leuitici. xix. Non oderis fratrem tuum in corde tuo sed publice argue eum, nec portes aduersum illū peccatum. Ne vindica, nec memor esto iniuriæ filiorum populi tui. Diliges proximum tuū sicut teipsum, quod nescio cur maluerit Hieronymus vertere amicum, sic enim in nostris codicibus legitur, cum vox hebræa magis cognatū significet, & septuaginta Interpretes verterint, ἀλλοτρίον, quos secutus est ad Roma. xiiij. Paulus, ubi hanc ex lege parænesin citat. Est autem hæc summa Mosaicæ illius sententiæ, vt inter se Iudæi ament, tum amicos, tum inimicos, vt bene mereantur, etiam de male merentibus. Accedit huc caput Esaiæ. lvij. Quod plane vetat vindicari, & exigit amorem etiā inimicorum, Et Proverbiorum. xx. Ne dicas red Jam malum, pro malo, expecta dominum & liberabit te.

Iam in lege,

DE EVANGELIO. FO. XLII.

Iam in lege, quod ego sciam, nusquam reperias hæc verba, Odio habebis inimicum tuum, vt satis adpareat, non legis sententiam, sed pharisaicam traditionem Christum retulisse, vt damnaret. De Chananeis acceperant Iudæi præceptum, vt eos perderent, Exodi. xxiiij. quorsum adluisse Christum nonnulli opinantur, cum ait dictum esse de persecuendis inimicis. Quod si verum est, qd Sic & de lo- aliud dicemus voluisse Christum, quam vt reue- eo in Leuit. lato Euangelio, & diruto infertitio maceræ, vt xxvi. Perse- Paulus ait. & sublato inductoq; discrimine gen- quemini ini- tium ac Iudæorum, sicut antea Iudæis Iudæos di- micos ve- ligere, tum amicos, tum inimicos mandatum fue- stros & c. iur- rat, ita nos tum gentes tum Iudæos, cum amicos dicandū est. tum inimicos diligeremus. Quod de Cananeis præceptum est, ad omnes gentes pertinet, oppug- nantes Israel. Nam huic populo præceptum erat armis legem tueri. Huc pertinet, quod de fœ- nore decretum est, exteris fœnerandū, non cog- natis. Nunc cum nulli sint exteri, oēs cognati, in vniuersum interdictum est fœnus.

Quanquā negari non potest, quin aliqua in lege nouarit Christus, quale illud est de diuortio, quale item est, qd cum Iudæis præceptum fuerit gladio legalia defendere, Euangelium non vult Christus armis defendi, & Petro ait, Conuerte gladium in locum suum, Qui gladium acceperit gladio peribit. Nā Euangelium spiritus iusticiā tantū tra- dit, quæ gladio extorqueri hominibus nō potest, sicut ciuilis iusticia. Tamen nō est Christi prima- rium ac propriū officium legem condere, sed gra- tiā donare. Moses legumlator est & iudex, Chri- stus saluator, sicut ipse de sese testat Iohan. iij. Nō

F

DE EVANGELIO.

misit deus filium suum in mundum, vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus per ipsum. Lex damnat, quādoquidē per nos ei satisfieri nequit. Christus gratiā peccati donat credentibus. Sæpe quidē legē etiā Christus prædicat, q̄ sine lege peccatū cognosci nō possit, quod nisi sentiamus, vim gratiæ & amplitudinē non intelligemus. Proinde simul & lex & Euangelium prædicari debet, ostendi debent & peccatū & gratia. Duo Cherubim arcæ impositi erant, Lex & Euangeliū, quare fieri nequit, vt Euangeliū sine lege, legem sine Euangelio recte aut foeliciter doceas. Et vt cum Euangelio Christus legē cōiunxit, ita cū lege Euāgelium, prophetæ. Habes huius rei exempla etiā in Apostolorum contionibus in Actis. In primis autē Epistolas Pauli oēs, in quibus fere primū de ratiōe Euāgelij differit, postea paræneses p̄scribit

DE VI LEGIS.

EVANGELIUM non esse legem, sed promissionem gratiæ diximus, nunc superest, vt quæ legis, quæ Euangelij vis sit, vt cunq; doceamus. Nam hinc legis & Euangelij discrimē aliqua ex parte cognosci poterit. Ac principio quidem de vi legis variat scriptura, ab humana ratione. Scriptura legem vocat virtutem iræ, peccati, sceptrum exactoris, fulmen, tonitru. Ratio humana, emendationem viciorum & doctrinam viuendi, Sic enim vocat Cicero de legibus. Et nihil vulgo laudibus legum celebratius est, vt carni videri possit etiam insanire Paulus, cum virtutem peccati legem vocat. Sic Iudæi Iohan. ix. cum se Mosis discipulos profitentur, agnoscere Christum nolunt. Proinde vt de vi legis

DE VI LEGIS. FO. XLIII.
exacte disputemus, duo hominum genera inter
se conferamus.

Ex primo genere sunt qui legem carnaliter in-
telligunt, nec sentiunt exigere impossibilia cæci,
qui nec peccatum, nec legem, nec iustitiã vident.
Sunt autem hypocritæ, Sophistæ omnium seculo-
rum. Huiusmodi iustitiam Paulus vocat iustitiã
ex operibus legis. nempe eorum qui cum legem au-
diunt, facere aggrediuntur suis operibus, & ad
legem adferunt manus, pedes, os, cor autem non
adferunt. mallent enim sine lege esse, quantum-
uis sibi sancti videantur. Adhuc placent volup-
tates, opes, honor. Hi quales sint nemo melius
quã spiritus dei dixerit. Principio fide carent, hoc
est, cor eorum nihil intelligit dei, & vt scriptura
loquitur, deum non requirit, hoc est, non magni-
facit, sed contemnit. Deinde declinant, iuxta psal-
mum. xiiij. id est, cum nec timeant deum, nec cre-
dant deo, ad sua consilia deflectunt, contempto
deo, per quæ sibi aut ad opes, aut ad dignitates
viam faciunt. Præterea etiam suis operibus co-
nantur se iustificare, cuiusmodi operarios iniqui-
tatis scriptura sæpe perstringit. Psal. v. a Dauide
describuntur hypocritæ ad hunc modum, q̄ non
sit in ore eorum rectum, candor, q̄ interiora sint
vacuitas, q̄ guttur eorum sit patens vorago. Cũ
hoc hominum genere nihil est legi negocij. Nam
e falso & carnali intellectu legis viuunt, quare in
eis efficere id nõ potest lex, qd̄ debebat. Sed ipsi
sibi ex lege, idola, imagines masculinas, & car-
naliũ virtutum vmbraſ fingunt. Trahuntur
enim ad simulanda bona opera carnali quodam
adfectu, vel poenæ metu, vel commodi studio,

Hypocritis
humana iu-
stitia.

F ij

DE VI LEGIS.

stulte securi, cum nō videant morbum animi sui. Estq; huius generis incredibilis superbia, tumor, pertinacia. *ὕλαυτία*, Tantum abest vt legi satisfaciant, vt nulli longius a lege absint. Huiusmodi est pharisæus ille Lucae. xvij. qui ait, non sum sicut cæteri homines. Et Esaias describit ebrios Ephraim, cap. xxvij. percussimus fœdus cū morte, & cum inferno fecimus pactum. Et Hier. vi. Erubescere nescierunt. Et Matth. vij. Operarii iniquitatis. Qualem se fuisse testatur Paulus priusquā conuerteretur, Roma. vij. Ego aliquando sine lege vixi, id est, fuit aliquod tempus cum viderer mihi legem egregie præstare, cum vincerem hypocriti operum etiam omnes æquales meos, non enim arguebat me, non accusabat, nō damnabat tum lex. Et tales quidem omnes homines sunt, qui per vires naturæ pro captu rationis legem exprimere conantur, cū nec legem nec vires suas intelligant. Atq; hi sunt qui Mosi tergum tantum, qui Mosi velatam tantum faciem contemplantur, vt vult Paulus in posteriore ad Corinthios, vbi a Iudæis negat intelligi posse iusticiam Evangelicam, q̄ corde velato contueantur Mosi, hoc est, quid exigit lex, quā nos nihil nisi peccatū & maledictū simus, per legē nō vident.

Et hæc tenus quidem de ijs qui per vires naturæ, pro facultate rationis humanæ tentant legem, qui quales sint, a suo corde quisq; poterit æstimare. Ad hos nō pertinent proprie hæc Pauli sententiæ, Lex virtus iræ, virtus peccati, ministratio mortis &c. Quamquā his etiam lex damno sit, q̄ ex ea idolum sibi faciant, deinde nihil nō operentur cum ineffabili quadam cordis tum superbia tum molestia.

DE VI LEGIS. FO. XLIII.

Ex altero genere sunt, ad quos hæc sententiæ, Lex virtus peccati, virtus iræ &c. pertinent, quibus legem deus reuelat, ostenditq; corda, & quos sensu peccati sui terret deus & confundit. Hi demum sunt in quibus per legem deus operatur. In hypocritis nihil agit lex, sed ipsi quandam legis vmbra, vmbra quadam hypocriticæ iusticiæ referunt. In his vere ac proprie lex agit quibus ostenditur peccatum. Quod quia vere fit, a deo fit, & vocat hoc opus scriptura, iudicium, iram dei, furorem dei, adspæctum, vultum iræ &c. Psal. xvi. Iudicium correctio sedis eius, Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbem terræ, vidit & cōmota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie domini, a facie domini omnis terra. Psal. lxxv. De cœlo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit. Et Zachariæ. iij. Sileat omnis caro a facie domini. Esa. xi. Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Abacuk. iij. Aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi. Quamquã quid attinet multa congerere, cum hæc plane altera scripturæ pars sit, Lex & legis opus occidere & damnare, ostendere radicem peccati nostri & confundere. Mortificat non avaritiam tantum aut libidinem, sed caput omnium malorum amorem nostri. iudicium rationis, & quidquid boni sibi videtur habere natura. Hic adparebit quã putent virtutes morales, quam sint pollutus mentis pannus, iustitiæ sanctorum. Quandoquidem etiam Moysen exclamare oportuit. Coram te ne innocens quidẽ est innocens, Et Naum, Mun-

Virtutes
Theologicæ

DE VI LEGIS.

dans nō faciet innocentem. Et Dauid', Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Et, Domine ne in furore tuo arguas me. Et Esaiaē. xxxviij. Ezechias, Quasi leo contriuit omnia ossa mea. Et hoc est, quod parcissime dixit, vt solet omnia Iohannes. Per Mosen lex data est, gratia & veritas per Ihesum Christum facta est. Veritas hypocrisis, gratia furori dei opponitur. Proinde, cū per Ihesum Christum gratia, id est, misericordia & fauor dei partus sit, & verax in corde nostro iusticia, necesse est vt lex hypocrisis tantum auctor sit, cum coerchet inuitos & frementes aduersus deum, & iræ, cum damnat nos reos.

Sic Paulus ad Roma. viij. vbi de vi legis diligentissime differuit. Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Idem cap. iij. per legem cognitio peccati, quasi dicat, hypocritis falso persuasum, parari lege iustitiam, cum lex tantum ostendat cordi peccatum. Deinde occasione accepta peccatum per mandatum in me operatū est omnē concupiscentiam. Id est, vbi cœpi legis onus sentire, adeo nihil profectum est lege, vt concupiscentia magis etiam irritata cœperit furere aduersus iudicium et voluntatem dei. Nam sine lege peccatum erat mortuum, hoc est, ni lex mihi in corde peccatum ostendisset, ni me sensus peccati conterruisset, mortuum fuisset peccatum, non efferbuisset. Vixi enim aliquando sine lege. Fuit aliquod tempus, cum iustus mihi viderer, legem non videbam, adeoq; nec peccatum. Atq; ibi tum peccatū conquiescebat, nec palam irascebatur deo, sed cum venisset mandatum, peccatū

DE VI LEGIS. FO. XLV.

reuixit, ego autē mortuus sum, hoc est, cū iam lege ostendisset mihi peccatū deus, exuscitatum est peccatū, ego confusus sum, pauefactus, inhorruī, breuiter, mortuus sum, Et tum quidem adparuit quæ vis legis esset. Proditā quidē lex est vt uiuamus, sed cū facere non possimus, mortis organum est. Et quæ causa est tandē cur lex occiderit? Lex spiritualis est, id est, exigit spiritualia, veritatem, fidem glorificantem deum, amorem dei, ego vero carnalis sum, incredulus, ignorans dei, insipiens, amans mei &c.

Nusquā vim rationesq; legis tam copiose tractauit Apostolus Paulus, vt hoc loco, quē proposuimus, in quo nō video quid desiderari possit. Obscuritas nulla est, nihil impeditū, plana, aperta omnia, vt dubitari non possit de eius sententia. Quod si uolet studiosus lector scripturæ, addat huic ueluti suffragatores, eos locos qui sunt in alias sparsi Epistolas.

In priore ad Corint. Aculeus mortis peccatū, potentia uero peccati lex, non, n. confunderet, nō terreret peccatū, nisi lege ostenderet nobis, adeoq; nō esset efficax peccatū, nisi per legē esset excitatū & ostensum. Ita nec mors efficax esset, nisi peccati uiribus & opera terreret nos. In posteriore ad Corint. capite tertio discernit lex a spiritu, ad hūc modū. Sufficientia nostra ex deo est, q; et idoneos nos fecit, ministros noui testamenti, nō literæ, sed spiritus. Litera, n. occidit, spiritus autē uiuificat. Et quid literā, quid spiritū uocet sequētia clarius docent, cum ait. Q; si ministratio mortis literis deformata in saxis fuit in gloria, adeo vt nō possent oculos intēdere filij Israhel in faciem Moysi,

DE VI LEGIS.

propter gloriam vultus eius, quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Ministratio mortis lex est, quæ ostenso reuelatoque peccato, confundit, conterret, & occidit conscientiam. Ministratio spiritus Euangelium est, vt postea dicemus, quod consolatur, erigit, animat, viuificat ante pauefactas mentes.

In tertio capite Epistolæ ad Galatas, cū longa disputatione docuisset Apostolus, non parari solius legis adminiculo iustitiam, addit id quod obijci posse non inepte videbatur. Quid igit lex? id est, si non profuit ad parandā iustitiam, quæso quis eius fuit vsus? Propter transgressiones, inquit, lex tradita est, id est, vt augeretur præuaricatio. Auget enim cognitio peccati, peccatum, cum quod implacabilius sæuiat, cum cohercetur, tum quod indigne fert natura se confundi, & irascit diuino iudicio.

Hanc esse vim legis etiam docent typi scripturæ plerique. Exodi. xix. cum legem esset laturus deus, terrebaratur mirifice populus, tonitru, fumo, fulgore, nubibus, clangore buccinæ, & quibus non horrendis spectris? quæ omnia percussæ conscientie terriculamenta designant. An non vox populi, conscientie labefactatæ vox est? cum inquit, Non loquatur dominus nobis, ne forte moriamur. Et populum quidem sic consternatū mire subleuat Moses, non iam legis minister, sed Euangelista, cum ait. Nolite timere, vt enim probaret vos venit deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. O Euangelicam plane vocem Mosi, quā nisi audiat conscientia quomodo sustinebit illum horrendum vultum iudicis,

DE VILEGIS. FO. XLVI.

Sed de Euangelica consolatione postea dicemus. Iam e Mosi facie lux resplenduit, vt perstringerentur populo oculi. Id quod in causa fuit, cur deinceps non nisi velata facie sese populo ostenderet. Non enim ferunt fulgorem diuinæ lucis, oculi aut mentes humanæ. In summa, fulgor, facies in monte, splendor in facie Mosi, plane indicant, vt cum Paulo loquar, gloriam dei qua cor humanum deus confundit. Iudicium dei est ista peccati cognitio. Cedant hinc sophisticæ attritiones, & simulatæ contritiones, cedant cauteriatæ conscientiaæ hypocritarum. Hic profunda cordis deus scrutatur. Tantum abest enim vt ratio humana videat peccatum suum, vt sanctos etiam & plenos spiritu oporteat pro ignorantijs supplicare. Exclamat Dauid, Delicta quis intelligit? Et, Ignorantias meas ne memineris. & hoc genus multa alias. Hierem. cap. xvij. prauū & inscrutabile ait esse cor hominis. Ego dominus scrutans cor & probans renes. Et cap. xxxi. Castigasti me domine et eruditus sum, quasi iuenculus indomitus. Conuerte me, & conuertar, quia tu dominus deus meus. Postquā enim conuertisti me egi poenitentiam, & postquā ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quom sustinui ignominiam pueritiæ meæ. Et quis est, qui se legem adsecutū putet, cum præcipiatur vt nosmet ipsos abnegemus, Matth. xvi. In summa, proprium legis opus est peccati reuelatio, aut vt clarius dicam peccati conscientia, & vt Paulus vocat Chirographum in dogmatibus, quod aduersatur nobis. Sic, n. Paulus multo elegantius, multo certius definit conscientiam, quā Sophistæ sen

F v

DE VI LEGIS.

Quid con-
scientia.

tentiarij, qui nescio quot practicos syllogismos concipiunt, dum vocabulum conscientiaē describunt. Quid. n. aliud est conscientia peccati, quā legis sententia, in corde ostendens peccatū nostrū. Nam quod Paulus ait in Coloss. Epistola χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῶν, vult cōscientiā chirographū esse, idq; in decretis, id est, quod per decreta, per legē aduersat nobis.

Principium
pœnitentiæ.

Habes legis opus esse, reuelationem peccati, porro cū peccatum nomino omnia genera peccati complector, externa, interna, hypocrisin, incredulitatem, amorem nostri, contemptū seu ignoracionem dei, ipsas scilicet radices omniū humanorum operum. Et in iustificandis quidē peccatoribus, primū hoc opus dei est, reuelare peccatum nostrum, confundere conscientiam nostram, pauefacere, terrere, breuiter damnare, vt exemplū indicat Hieremiæ, quod paulo ante citauī. Et ait Paulus, Ego per legem legi mortuus sum. Et Dauid. ij. Reg. xij. increpatione prophetæ confusus exclamat, Peccaui domīo Et. iij. Reg. xxi. Achab dirupit vestē &c. & vt ait scriptura, ambulauit demisso capite. Et in secūdo παραληρημένων cap. xxxij. scribitur de Manasse, q̄ sit coangustatus, vtendum est enim scripturæ verbo. Et in secūdo capite historiæ Apostolicæ, his auditis compuncti sunt corde. Hic satis sit monuisse hoc opus legis initium esse pœnitentiæ, quo spiritus dei terrere ac confundere conscientias solet. Nam natura per sese peccati fœditatem nō potest cognoscere,

DE VI LEGIS. FO. XLVII.

tantum abest vt odisse possit. Animalis. n. homo nō sentit ea quæ sunt dei. Et ad Ro. viij. Caro adfectat ea quæ carnis sunt. Hæc de pœnitentiæ initio tractant sophistæ in quarto sententiarū, nos hic velut in vestibulo nostri operis. Nam iustificationem hominis, adeoq; verū baptismum auspiciatur mortificatio, iudicium, confusio, quæ fit a spiritu dei per legem. Et sicut hinc nempe a peccati cognitione vita Christiana auspicianda est, ita a legis officio Christiana doctrina auspicianda est.

Non est operæ precium disputare, sit ne hic timor seruilis, an, vt vocant, filialis. Permittamus hoc genus disceptationes ociosis ingenijs. Quamquam hac de re pleriq; sic disputant, vt satis adpareat eos neq; quid seruilis, neq; quid filiorum metus sit intelligere. Certum est, odio peccati tangi neminem posse, nisi per spiritum sanctum, certum item est sic conterritos fugere vultum dei, & conspectum, nisi spiritu dei retrahantur, reuocentur ac confirmentur, vt clament cum Paulo, Domine quid me vis facere. Fugere conspectum dei conterritos lege, docet historia in Exodo, cum appellat Mosen populus. Non loquatur dominus nobis ne forte moriamur. Et David Psal. c. xxxviiij. Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Extant testimonia abunde multa huius loci in scripturis, mihi satis visum est hæc mouisse, quo discrimen legis & Euangelij certius teneretur. Vides autem quantum inter simulatam pœnitentiam & veram intersit.

Timor seruilis.
Timor filialis.

DE VI EVAN

GELII.

QUOS ad eum modum terruit consci-
entia, ij haud dubie ad desperationem
adigerentur, id, quod in damnatis vsu
venit, nisi promissione gratiæ ac misericordiæ
dei (nam Euangeliū dici constat) subleuarentur
& erigerentur. Hic si credat afflicta conscientia
promissioni gratiæ in Christo, fide resuscitatur
& viuificat, id quod mirifice declarabūt exēpla.
In Genesi cap. ij. Peccatum, pœnitentia, & iu-
stificatio Adæ describit. Posteaquā deliquissent
Adam & Heua, & iam nuditati suæ tegmen ac
περιζωμάτια quærerent. Sic enim solemus hypo-
critæ, consciencijs mederi per satisfactiones no-
stras. compellabantur a domino, Ea vero vox in-
tolerabilis erat. Hic nihil perizomata, nullus præ-
textus excusabat peccatum. Iacet conuicta, iacet
rea conscientia, peccato ob oculos posito per vocē
dei. Fugiunt, & causam fugæ exponit Adam, cū
inquit, Vocem tuam domine audiui in paradiso,
& timui eo q̄ nudus essem. Ecce confessionem,
καὶ ὁμολόγησίν conscientiæ. Interim Adam
misere secum luctatur, donec audit promissionē
misericordiæ, vocem de vxore dictam. Semen
eius conteret caput serpentis. Nonnihil faciebat
ad confirmandas eorum conscientias etiam q̄ do-
minus eos vestijt, haud dubia significatione in-
carnationis Christi, nam ea caro tandem operit
nuditatem nostram, & eximit confusionem pa-
uentibus consciencijs. nempe, in quā opprobria
exprobrantium incidere. Psal. lxxvij. Paulo ante
Dauidis meminimus, vt voce Nathan prophetæ

DE VI EVANGELII. FO. XLVIII.
confusus sit. Et perisset ille quidē ni statim Euan-
gelium audisset. Dominus sustulit peccatū tuum,
non morieris. Sunt qui putant in veteris instru-
menti historijs præter allegorias nihil requiren-
dum. Sed hic vides quantū sit eruditionis in vno
hoc Davidis exemplo, si solam literam conside-
res. Immo ea sola est spectanda, in qua cum iræ
tum misericordie suæ opera spiritus dei nobis lar-
ge exhibuit. Quæ vox magis Evangelica cogita-
ri potuit, quā hæc? Dominus sustulit peccatum
tuum. An non hæc summa est Evangelij, seu præ-
dicationis noui testamenti? Sublatum esse pecca-
tum. Adde his si voles aceruum historiarū Euā-
gelicarū Lucæ. vii. Mulier peccatrix lacrumis la-
uat pedes domini, quam consolatur his verbis,
remittuntur tibi peccata. Et quid vulgatius filij
prodigi historia Lucæ. xv. confitentis delictum
suum, quem pater quā amanter excipit, comple-
ctitur, osculat &c. Lucæ. v. Petrus stupefactus
miraculo, adeoq; perculsus corde exclamat. Exi
a me domine, quia homo peccator sum. Quem
consolatur & reuocat Christus, cum inquit, Noli
timere &c. Ex his exemplis credo posse intelligi,
quid inter legem & Euangeliū intersit, quæ vis
sit legis, quæ Evangelij. Lex terret, Euangelium
consolatur. Lex iræ vox est & mortis, Euange-
lium pacis & vitæ, & in summa vox sponsi &
sponsæ, sicut propheta dicit. Et qui sic erectus vo-
ce Evangelij, credit deo, is iam iustificatus est, vt quid,
mox copiosius dicam. Nō est obscurum Christia-
nis, quantum gaudij, quantū læticiæ ista conso-
latio adferat. Atq; huc pertinent lætæ illæ prophe-
tarū voces, quibus describunt Christum & eccle-

DE VI EVANGELII

siam. Esaiæ. xxxij. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia & in requie opulenta. Item gaudium & læticia inuenietur in ea & vox laudis. Hierem. xxxiii. Reuelabo illis deprecationem pacis & veritatis, Et erit mihi in nomen & in gaudium & laudem & exultationem cunctis gentibus terræ. Sophon. iij. Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen domini. Psal. xx. Letificabis eum gaudio &c. Et. xcvi. Lux orta est iusto & rectis corde læticia.

Et quid attinet multa congerere, cum ex promulgatione legis, item ex Christi aduentu satis adpareat tum legis, tum Euangelij vis. Etenim quã terribili spectaculo lex promulgata sit describitur. Exod. xix. & nos paulo ante recensimus. Sicut. n. tum Israelem terrebat dominus, ita singulorum conscientia terrentur voce legis, & vna cum Israele clamant, Nõ loquatur nobis dominus, ne moriamur. Exigit lex impossibilia, coarguit peccati rea conscientia. Hinc pavor, confusio, sic exercent conscientia, vt remedij nihil vsquã adpareat, ni ipse qui humiliavit erigat. Sunt qui suis viribus, conatibus, operibus ac satisfactionibus, quaerunt consolationem. Sed ij non plus efficiunt, quã effecerat Adam suis perizomatis. Ita sunt qui se peccato sui arbitrij viribus, opponunt. eos subinde miserabilius ruere, res ipsa docet. Fallax. n. equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non saluabitur, psal. xxxij. Et, Da nobis auxilium domine quia vana salus hominis. psal. cvij. Cõtra Christi aduentus describit a propheta Zacharia. ix. Exulta filia Zion, iubila filia Ierusalem, Ecce rex tuus

DE VI EVANGELII. FO. XLIX

venit tibi iustus & saluator, ipse pauper. Primū cum iubet exultare, docet aliud esse verbū huius regis, quā lex sit, adeoq; exprimit conscientiae gaudium, exultantis, vbi audierit verbū gratiae. Deinde nihil tumulti est, sed placida omnia, vt intelligas auctorem pacis esse, non irae. Hoc est, quod pauperem vocat Zachariae, quod Euangelista velut exponens fecit mansuetū. Et Esaias eodem spectat. xliij. Calamum quassatum non confringet, linum fumigans non extinguet.

Sic confert Mosi vultum, cum Christi vultu Apostolus in posteriore ad Corinth. Terrebat Moses fulgore vultus, vt supra monuim⁹. Quis em̄ iudicij diuini maiestatem ferat, cū id propheta etiā deprecetur. Ne intres in iudicium cū seruo tuo. Christi gloriam cū in Thabor vident discipuli, quā nouo, quā admirando gaudio perfunduntur. ita vt ignarus sui Petrus clamaret, Domine bonū est nos hic esse, faciamus tria tabernacula. Hic enim adspectus est gratiae & misericordiae dei. Sicut aheni serpentis conspectus seruabat, ita seruantur qui defixos in Christum oculos fidei habent. Iohan. iij. Ideo aptissimo nomine εὐαγγέλιον dixerunt Apostoli, lætū nuncium. Nam & græci vulgo εὐαγγέλιον vocarunt nuncia, preconia publica rerū bene gestarum. Sicut est apud Isocratem, *δὲ ἡδὴ τεδείκαμεν εὐαγγέλιον.*

DE GRATIA.

SICVT lex peccati cognitio est, ita Euangelium promissio gratiae & iustitiae. Proinde quia de verbo gratiae & iustitiae, nempe de Euangelio dictum est, hic subiiciendae sunt

Et Demostenes pro Ctesiphonte dixit εὐαγγελίζομενον, p bene precante.



DE GRATIA.

sunt gratiæ & iustificationis formulæ. Nam ita
Euangelij ratio plenius cognosci poterit.

Hic vero merito quis exoptulet cum schola-
sticis, qui sacro sancto vocabulo gratiæ tam fœ-
de abusi sunt, cum pro qualitate, quæ sit in ani-
mis sanctorum vsurpant, & pinguisime omnium
Thomistæ, qui qualitatem, gratiam, in animæ
natura posuere. Fidem, spem, caritatē, in poten-
cijs animæ. Atq; hic quā aniliter, quā stulte di-
gladiant de potencijs animæ. Sed fordescant pro-
lixè impij homines, & contempti Euangelij pœ-
nas dent nugando. Tu mi lector precare vt Euā-
gelium suum cordibus nostris reuelet spiritus dei.
Est enim verbum spiritus, quod doceri nisi per
spiritum non potest, id quod Esaias ait, omnes
esse θεοδιδάκτους.

I In literis noui testamenti fere gratiæ vocabu-
lum vsurpatum est pro hebraico חן quod χάρις.
verterunt septuaginta Interpretes, vt Exodi.
xxxij. Inuenisti gratiam coram me &c. & sæpe
alias. Significat autē plane id quod latinis fauor,
atq; vtinam verbo fauoris vt i maluissent inter-
pretes, quā vocabulo gratiæ. Defuisset enim hoc
loco ineptiendi occasio Sophistis. Proinde sicut
grammatici dicunt Iulium fauere Curioni, cum
significant in Iulio esse fauorem, quo sit cōplexus
Curionem. Ita in sacris literis gratia fauorem de-
signat, estq; gratia seu fauor in deo, quo cōplexus
est sanctos. Facestant Aristotelica figmenta de
qualitatibus. Non aliud enim est gratia, si exacti-
ssime describenda sit, nisi dei beneuolentia erga
nos, seu voluntas dei misera nostri. Non signifi-
cat ergo

cat ergo gratiæ vocabulum qualitatem aliquam in nobis, sed potius ipsam dei voluntatem, seu beneuolentiam dei erga nos.

Paulus ad Roma. v. distinguit a gratia do- II
num. Si vnus delicto multi mortui sunt, multo Differentia
magis gratia dei, & donum in gratia, ea, quæ est gratiæ & do
vnus hominis Iesu Christi, in multos exūdauit. ni.
Gratiam vocat fauorem dei, quo ille Christum
complexus est, & in Christo, & propter Chri-
stum omnes sanctos. Deinde, quia fauet, non po-
test deus non effundere dona sua in eos quorum
misertus est, sicut homines. quibus fauent, eorum
res adiuuant, ijs sua impertiunt. Donum vero dei
est ipse spiritus sanctus, quæ effundit deus in cor-
da suorum. Iohan. xx. Insufflauit & dixit, Accipi-
te spiritum sanctum. Et ad Rom. viij. Accepistis
spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus
abba pater. Porro spiritus sancti opera sunt in
sanctorum cordibus, fides, pax, gaudium, cari-
tas &c. Ad Galatas quinto. Petrum Longobar-
dum quod alicubi spiritum sanctum potius gra-
tiam vocarit, quã Parisiensem, hoc est, ficticiam
illam qualitatem, mirum est quo supercilio tra-
ctent Sophistæ, qui tamen quanto rectius, quã
isti, sentit?

Sed nos simplicissime nomenclaturam hanc fa III
cimus gratiæ, secuti phrasin scripturæ, vt sit gra-
tia, fauor, misericordia, gratuita beneuolentia
dei erga nos. Donum, ipse spiritus sanctus, quem
in eorum corda effundit, quorum est misertus.
Fructus spiritus sancti, fides, spes, caritas, & reli-
quæ virtutes. Et hæc quidem de nomine gratiæ.
In summa, nō aliud est gratia, quã condonatio seu

DE IUSTIFICATIONE

remissio peccati. Donum est spiritus sanctus regenerans & sanctificans corda. Iuxta illud, Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Tam gratiam, quàm donum premitit Euangeliū. In promptu sunt scripturæ, quare satis videtur vñ locum indicasse. Hier. xxxi. Post dies illos dicit dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, quæ verba certe ad donū pertinent, Omnes cognoscent me a minimo eorum vsq; ad maximum, ait dominus. Ad gratiã quæ sequitur, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

DE IUSTIFICATIONE ET FIDE.

IUSTIFICATIONE MVR igitur cum mortificati per legem, resuscitamus verbo gratiæ, quæ in Christo promissa est, seu Euangelio, condonante peccata & illi fide adharemus, nihil dubitantes quin Christi iustitia sit nostra iustitia quin Christi satisfactio, sit expiatio nostri, quin Christi resurrectio nostra sit. Breuiter, nihil dubitantes quin peccata nobis condonata sint, & iam faueat ac bene velit deus. Nihil igitur operum nostrorum, quantumnis bona aut videantur, aut sint, iusticia sunt. Sed sola FIDES de misericordia & gratia dei in Iesu Christo IUSTITIA est. Atq; hoc est, quod ait propheta, & toties iacet Paulus, iustus ex fide viuit. Ro. iij. Iusticia dei per fidem Iesu Christi, id est, iam manifestata est non operum hypocrisis, quàm pro iusticia homines reputent, sed eiusmodi iusticia est reuelata, quàm deus pro iusticia reputat, Nempe ea quæ est

ET FIDE.**FO. LI.**

per fidem Iesu Christi. Et ad Roma. iij. **CRE-**
DENTI reputatur fides ad iustitiam. Et Gene-
sis. xv. Credidit Abraham deo & reputatum est
ei ad iustitiam. Atq; has duas quidem sententias,
ob hoc volo tibi cōmendatōres esse, vt intelli-
gas apposite dici fidem, iustitiam. Offenduntur
enim hac loquendi forma Sophistæ, cū dicimus
fidē esse iustitiam. Sed vt fidei naturā ac vim pro-
pius contemplemur, paulo altius eius ὑπεραφῆ
reperenda est.

Satis constat vulgus Sophistarum fidem vo- **II**
care ad sensum eorū quæ scripturis prodita sunt,
deinde eam esse fidem etiam impiorum. Credere
etiam iniustos, esseq; ociosam in anima qualita-
tem, cōmunem impijs cum pijs. Et ne non ela-
bantur cum vident scripturam dicere, Iustum ex
fide viuere. Item ex fide iusticiam esse, fingunt
aliā fidem formatam, id est, eam quæ sit etiam
in impijs, carentibus caritate. A deoq; causantur
homines acuti, Apostolum falso tribuisse fidei, id
quod caritatis erat, vt hac velut illecebra ad fidē
quā plurimos inuitaret. Iam & fidem infusam &
acquisitam, ac generalem & specialem, & nescio
quæ portenta verborum finxerunt.

Sed mittamus ista nugamenta, nam paulo
post coarguemus sophistas ipsius rei conditione,
vt permittant nobis fidem non esse, id quod sic
ipsi nominarunt.

Non obscura vox prophetæ est. Dixit insipiēs **III**
in corde suo non est deus. Et vulgatissimum est
illud Pauli. i. Corinth. ij. Animalis homo non
percipit ea quæ sunt spiritus, Et Ezechiel, xxix.

G ij

DE IUSTIFICATIONE

Fidem siue
informem si
ue acquisitā
vocat scho
lastici, non
esse fidē sed
opinionem.

Meus est fluvius, & ego feci meipsum. Huiusmo-
di sententiæ testantur, carnem nihil nisi carnalia
sapere aut cognoscere. Esse deum, dei ira, dei mi-
sericordia, spiritualia sunt, nō possunt igit̃ a carne
cognosci. Proinde quidquid de deo cognoscit na-
tura, sine spiritu dei instaurante & illustrante cor-
da nostra, quaecumq; sit, frigida opinio est, non
fides. adeoq; nihil nisi simulatio & hypocrisis, ig-
noratio dei & cōtemptus. Quamquā hanc ipsam
hypocrisin non cernant carnales oculi, Spiritus au-
tem omnia dijudicat. Et vt exemplis res agatur,
Fidelis videtur fuisse Saul in speciem, sed hypo-
crisin declarat euentus. Quia non credebat (ex
corde dico) res tantas, quas gerebat, diuinitus ad-
ministrari, dona & opera misericordiæ dei esse,
sed ex suis consilijs pendere æstimabat. Nam de
cordis adfectu loquor, nec timebat iram dei, nec
fidebat benignitate. Eum dei contemptum decla-
rat, cum non expectato Samuele ipse sacrificat, ne
a palestinis anteuortatur. i. Reg. xij. & rursus, cū
gentium more sibi tropheum erigit. i. Reg. xv.
Erat in Saule opinio, esse deū, esse vindicem pec-
cati, esse misericordem. Alioqui cur sacrificasset?
sed fides non erat, hoc est, vt egregio scripturæ
verbo vtar, non requirebat, Er acht seyn nicht,
cor ignorabat tum seueritatē tum bonitatem dei.
Horrendū & miserabile spectaculū, si hanc cor-
dis impietatem contingat oculis spiritualibus cer-
nere. Quæso te dispice vitam tuam, & ex fructi-
bus quo ad potes æstima hanc cordis tui immun-
diciem. Nonne ideo declinas, vt cum scriptura lo-
quar, & ad tuas cupiditates deflectis animū, sol-
licitus es ideo de victu, fama, vita, liberis, coniu-

ge, quia deo parum fidis, quia amplitudinem misericordiae diuinæ non expendis. Nonne ideo ruis in alia subinde scelera, quia de gratia, de misericordia dei erga te desperas; haud dubie facturus & passurus omnia gratissimo pectore, si salutis tuæ certam spem concipere posses. Nonne rem facis, ad opes adspiras quacumque tandem ratione, quia iudicium dei non times. At timeres certe, si ex corde crederes, si vim iræ dei posses animo concipere. Atque hanc insipientiam, hanc ignorantiam, hanc cæcitatem cordis noto, cum nego fidem esse in natura. Maius omnino & certius aliquid fides est, quam, quod possit comprehendere caro.

Proinde illa Sophistica fides, quam vocant, tum informem, tum acquisitam, qua sic adsentiuntur historiae Evangelicæ impij, ut solemus vulgo Liuianæ, aut Salustianæ. non fides, sed opinio est, hoc est, incerta, inconstans & fluxa animi cogitatio, de verbo dei. Habes quid de scholastica fide sentiendum sit, habes nihil docere Sophistas nisi mendacium, vanitatem, & hypocrisin. Quod si videor hic de eorum dogmate aliquid durius dixisse, non mihi, sed Paulo irascantur, **FICTAM** fidem adpellanti hypocrisin, i. Timoth. i. Finis præcepti caritas est de corde puro, & conscientia bona, & **FIDE NON FICTA.** Ficta fides. Simulari igitur fidem alicubi indicat. Et de hypocritis ait ad Titum. i. Omnia munda mundis, contaminatis autem & infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia. Profitentur se nosse deum, factis autem negant, cum sint abominabiles, inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi, Quo loco si fides

DE IUSTIFICATIONE

impiorum erat vere fides, loquitur enim certe de
pñs in speciem, non debuit infideles dicere sed ca-
ritatis expertes, sicut Parisienses loquuntur. Fictā
fidem ad Timotheum tribuit hypocritis, hic infi-
deles vocat. Quare non est cur de fide formata
& informi distinguamus. Plane enim non est fi-
des, illa de credēdis seu de diuina historia opinio,
quā sine spiritu sancto conceptam habent hypo-
critæ. Non adsentitur verbo dei natura, adeoq;
nec mouetur. Solebam quondam historicā fidem
docendi gratia vocare, illam acquisitam infor-
mem, nunc prorsum non fidem, sed opinionem
adpello. Quæ diximus eo pertinent, vt scias sim-
plicissime vt verbo fidei scripturam, nec vocari
posse fidem, illam Parisiensem qualitatem, quæ
etiam in impijs est, & contemnentibus dei. Dam-
nati vero non vt dent gloriam verbo dei, cre-
dunt. Sed experientia coacti, quæ certe fides vo-
cari non potest. Idem de desperabundis dici po-
test, sicut de Cain, Saule. Quid enim inter hos &
damnatos interest? Quid igitur fides? constan-
ter adsentiri omni verbo dei. id quod non fit, nisi
renouate & illuminante corda nostra spiritu dei.
Porro verbum dei cum lex est, tum Euangeliū.
Legi minæ sunt adiectæ. Timorem scriptura vo-
cat, quo minis illis creditur, Fidem qua Euange-
lio, seu promissionibus diuinis fidentur. Non iusti-
ficat sine fide timor. Nam alioqui etiam despera-
bundi, damnati iustificarentur. Non enim qui ad
eum modum timent, glorificant deum aut omni
verbo dei credunt. Nam promissionibus non cre-
dunt. Iustificat igitur sola fides.

Non potest
esse timor fi-
dialis, nisi in
habentibus
fidem.

III

Est itaq; fides, non aliud nisi fiducia miseri-

cordiæ diuinæ, promissæ in Christo, adeoq; quo
 cunq; signo. Ea fiducia beneuolentiæ, seu miseri- Quid fide
 cordiæ dei cor primum pacificat, deinde & accen-
 dit velut gratiam acturos deo pro misericordia,
 vt legem sponte & hilariter faciamus. Alioqui
 quoad non credimus, non est in corde sensus mi-
 sericordiæ dei. Vbi non est sensus misericordiæ
 dei, est aut contemptus dei, aut odium. Quare
 quantacunq; legis opera fiant sine fide, peccatur.
 Atq; hoc est quod Paulus ait ad Ro. xv. Quid- Locus Pau
 quid nõ ex fide, peccatum est. Quæ sententia si- li, Peccatum
 dei vim atq; naturam clarissime exponit. Nam est, qd qui
 quidquid fit a natura fit aut odio dei, cuiusmodi non ex fide
 opera sunt eorum, qui inuiti, metu legis & pœ-
 narum bene operantur. Nam cum sine fide bona
 opera simulamus, nonne sic cogitat cor nostrum.
 Ego quidem, quod potui feci, sed nescio vtrum
 prober mea opera deus, aut improbet. Seuerus iu-
 dex est, nescio vtrum sit mei misertus, an contra.
 Ea cogitatione qui fieri potest, vt non irascamur
 iudicio dei. Et in hac hypocrisi cum magna mo-
 lestia cordis maxima pars homines viuunt, qui
 quã prauè iudicent, vel hinc adparet. Debebant
 enim non opera sua, sed promissionem misericor-
 diæ dei contemplari. Quid est enim iniquus quã
AESTIMARE VOLUNT A-
TEM dei ex nostris operibus, quam ille ipse
 suo verbo nobis declararit. Iam magna hominũ
 pars cum contemptu dei viuunt, ita operatura, ita
 victura, etiã si displiceat deo. Eiusmodi sunt ope-
 ra quæ sine fide fiunt, hoc est, quæ cum odio dei,
 aut cum contemptu dei fiant. Est ergo pulcherri-
 me dictum Ecclesiastici, xxxij. In omni opere tuo

DE IUSTIFICATIONE

crede ex fide animæ tuæ, hæc est enim conserua-
tio mandatorum. Quæliacuncq; sint opera, come-
dere, bibere, laborare manu, docere, addo etiam,
vt sint palam peccata, non est, quod opera spe-
ctes, promissionem misericordiæ dei specta, eius
fiducia nihil dubita quin iam non iudicem in cœ-
lis, sed patrem habeas, cui tu sis curæ, non aliter
atq; sunt parentibus filij inter homines. Quod si
voluntatis erga nos diuinæ nulla esset significa-
tio præter hanc, q; voluit adpellari se patrem, in
ea prece, quã quotidie dicimus, sola hæc satis ma-
gno argumento esset, nihil exigi a nobis prius fi-
de. Nunc cum hanc toties exigat deus, cum hanc
toties vnã prober, cum hanc nobis locupletissi-
mis promissionibus, adeoq; per mortem filij sui
commendarit, quid est, cur non illi nos tantæ mi-
sericordiæ cõmittamus & credamus? Scholasti-
ca theologia pro fide, pro anchora conscientiarũ,
opera, satisfactiones hominum docuit. Male per-
dat deus scandalum illud Ecclesiæ suæ.

V Habes, in quam partem fidei nomen vsurpet
scriptura, nempe pro eo quod est, fidere gratuita
dei misericordia, sine vlllo operum nostrorum si-
ue bonorum siue malorum respectu. Quia de
Christi plenitudine omnes accipimus. Iam omni
verbo dei minis & promissionibus, historiæ di-
uinæ vere adsentiuntur qui sic fidunt. Scholastica
fides nihil nisi mortua opinio est. Nam quomo-
do credunt omni verbo dei? qui promissam re-
missionem peccatorum non credunt? Non enim
valet quod dicunt Sophistæ impios credere, non
sibi quidem, sed alijs remissionem peccatorũ con-
tingere. Quæso enim an nõ ijs quoq; impijs pro

missa est condonatio peccatorum? sed non institutum disputare, contenti paucis indicasse quid nomine fidei significetur. Extat Lutheri libellus de Christiana libertate, e quo qui volet fidei commendationes alias requirat. Porro fidei vim, opinor e scripturæ exemplis clarius cognoscemus.

Genesis. xv. promittit misericordiam suam Abrahamæ deus verbis magnificis, Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna valde. Paulo post pollicetur etiã posteritatem, adeoq; & Christum. Nam cum posteritatem expectat Abraham, Christum expectat. Sequitur autem, Credidit Abraham deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Eamq; fidem deinde declarauit egregio exemplo, cum filiũ esset imolaturus, nihil dubitãs, quin daturus esset deus posteritatem, etiam hoc filio necato. Iam cum fides sit adsentiri verbo dei, quid crediderit Abraham ex promissione quoq; satis apparet, cum se protectorem illi addicit deus. Ergo credunt qui pro protectore, pro patre, deum habent, nõ pro iudice tantum. Exodi. xiii. fremunt Israelitæ per diffidentiam, cum fugam intercluderent maria, montes, & hostis a tergo instaret. Hos iubet consistere Moses, visuros magnalia dei, & addit promissionem, Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis. Quid si hic de fide disputassent pro more scholarum nostrarum Israelitæ, Satis esse si historiæ credant, qd sit deus, qd malis pœnas, bonis premia dispenset, se quoq; malos esse & fieri posse, vt punire velit vtrosq; tum Aegyptios, tum Israelem. Sed credebant diuinæ voci, diuinis miraculis, fidebant misericordia dei, vt maxime

DE IUSTIFICATIONE

ipsi quoque mortis essent rei, atque ita committebant se a lueo per fidem. Et iam hoc exemplo experti voluntatem dei erga se, cum viderent se servatos, Aegyptium perisse undis, timuerunt, inquit, dominum, & crediderunt domino, & Mosi seruo eius. Et ea quidem nobis exempla sunt exhibita, ut discamus credere, non illa quidem Sophistica fide, sed hac fiducia verbi dei, qualem fuisse in Mose vides hoc loco &c.

Qualem autem fidem exigit in Numeris. xliij. cum desperaret de Palæstina occupanda populus? Ait enim dominus, Viscus quo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Et capite. xx. Irascitur Mosi & Aharon, quod non credidissent aquam e petra promanaturam. Credebat certe Aharon, credebat Moses esse deum, sed de diuina voce dubitabat, qua promissa erat aqua e petra. Eam incredulitatem taxat dominus.

Aut de qua fide loquitur Moses Deuter. i. Portauit te deus tuus ut solet homo gestare paruulum filium suum in omni via per quam ambulastis donec veniretis ad locum istum. Et ne sic quidem credidistis domino deo vestro, qui præcessit vos in via &c. Habebant illi certe fidem informem, habebant fidem acquisitam, sed promissionibus misericordiae dei non fidebant, non erant erecta corda eorum fiducia misericordiae dei, viuebant in incredulitate, contemnentes verbi dei, opus dei, reductionem ex Aegypto indigne ferebant, ideo eius incredulitatis poenas dedere, haud dubie alias boni viri in speciem. Hæc est hypocrisis hominum, qui ad eum modum fucati sunt bonis ope-

ribus, cor autem non est erectum, fiducia & gaudio in deo, cum hanc vnam fiduciam requirat deus, cum illius vnius confirmandæ gratia, filiū dederit, ne de bona voluntate erga nos sua dubitemus, vt ponamus in deo spem nostram, & nō obliuiscamur operum dei, & mandata eius requiramus. Psal. lxxvij. Item. i. παραλειπόμενων. v. Deum inuocauerunt, cum preliarentur, & exaudiuit eos, eo q̄ credidissent in eum. Et. ij. παραλειπόμενων. xvi. Oculi domini contemplantur vniuersam terrā, & prebent fortitudinē his qui CORDE PERFECTO credunt in eum. Vbi Asam regem Iuda propheta Anani taxat, Syrorum auxilijs fidentem. Verū haud scio, an vsquā fidei vim exemplo potiore exhibeat scriptura, quā id est quod de Iosaphat. ij. παραλειπόμενων. xx. legit, cū ille Ammonitas & Moabitas solo cantu funderet, nec aliud præcepisset exercitui suo, quā vt consisterent confidenter. Eiusmodi est & Ezechiaë exemplum.

Quā fidē autē requirebat ab Achaz Esaias, cap. vij. cū vetat auxilia Assyriorum implorare, polliceturq̄ opē diuinā, addens, Si nō credideritis. Plenæ sunt huius generis (nō permanebitis. ris exemplorū sacræ historiæ oēs, erit igit̄ p̄ij ac studiosi lectoris, & pro discenda fidei ratione, & cōfirmanda cōscientiā decerpere exēpla. Repetemus autē aliquot locos etiā ex literis noui testamenti, vel in hoc vt intelligatur idem spiritus esse historiarum vtriusq̄ testamenti.

Et vt hinc ordiar, Actuum. xv. negat Petrus operibus legis iustificatos patres, quāquā in lege

DE IUSTIFICATIONE

viuerent, sed fide. additq; fide purificari corda, quæ nisi tu intelligas, sicut ipse exponit, de fiducia gratiæ & misericordiæ dei, iam toto erras cœlo, qui enim fieri poterit, vt fides scholastica corda purifi. et? Vult ergo Petrus omnia opera patrum Dauidis, Esaiæ, Hieremiæ peccata fuisse, iustificatos autē esse sola fiducia misericordiæ dei in Christo promissæ. Sicut sæpe prophetae de se testantur. Hæc fiducia bonæ voluntatis dei spargitur in omnē vitam, in omnia opera, in omnes tentationes corporales & spirituales.

VI Vna eademq; fides est, qua creditur deo, qua fidentur bonitate dei, qualicunq; tentatione, spiritalis tentatio illa mulieris peccatrici erat Lucæ **Vnā fidem esse, quæ omnib; verbis dei credit.** viij. quam erexit Christus, inquit, remittuntur tibi peccata tua. Item, Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Corporalia erant pleraq; cum morbos curaret, & incredulitatem discipulorum in re corporali arguit. Matth. xvi. cum illi de panibus essent solliciti. Sic enim increpat, Quid cogitatis inter vos modicæ fidei? &c. Et patris curā de suis in re corporali quoties inculcat? Matt. vi. Scit pater vester quod his omnibus opus habetis. Et. x. Multis passeribus meliores estis vos. Et huiusmodi corporalia non contemnenda rudimenta sunt exercendæ fidei.

VII Hæc moneo ne quid laboremus distinguendis De promissionibus diuinis. Sunt enim aliæ rerū corporalium, vt veteris testamenti omnes. Aliæ spirituales, quæ proprie ad nouum testamentū pertinent. Sic enim sentio nec promissionibus corporalibus credere ex corde, nisi iustos. Et corporalium rerum promissione misericordiā suam declarasse

ET FIDE. FO. LVI.

deum, ꝑ argumentari facile poterant sancti, multo magis animas suas curæ esse deo, si curæ fuissent corpora, nec desinere patrem esse animarū, qui corporibus patrem egisset. Hoc est quod ante dixi, etiam corporalium rerum promissiones per se fuisse promissionem gratiæ, obscuram quidem sed tamen habentibus spiritum dei satis cognitā. Iam & Mosi precanti pro populi peccato, in Numeris cap. xij. condonatur peccatum populi. Et lex cum promissione gratiæ lata est, Exod. xx. Ego sum dominus deus tuus faciens misericordiā in millia his qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Et sacrificia pro peccato tradita sunt, quæ necesse est fateamur fuisse signa remissionis peccatorum fidelibus. Non quæro allegorias, sed historiam volo promittere misericordiam in eo ipso ꝑ corporalia beneficia promissa sunt. Atq; huc pulcherrime quadrant pleræq; historiæ, vt Genesis. xxvij. ait Iacob, Si fuerit dominus mecum & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum &c. erit mihi dominus in deum. Fidem misericordiæ & bonitatis dei efficacissime nobis cōmendavit Moses exemplis operum & promissionū corporalium. Deutero. viij. Adflixit te penuria & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, vt OSTENDERET tibi, quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore dei. **Locus ad Heb. xi.** Adeo verbum vitæ est, quocunq; misericordiam dei cognoscit cor humanum. Huius formæ exempla fidei recensentur ad Heb. xi. quorū pleræq; ad res corporales pertinent. Et cur non ad hunc locū accomodamus totū illud caput.

Simplificissima definitio fidei.

DE IUSTIFICATIONE

Principio fidem sic definit, Fides est sperandarum rerum hypostasis, id est, argumentum, certitudo non apparentium. Hanc ἰσχυράτων fidei eiusmodi glossæ detorserunt ad sua somnia sophistæ, & ad carnalem illam opinatiunculam, quæ fidem vocarunt, ut plane nihil Apostolicæ sententiæ intelligeretur. Proinde nos simplicissima verba simplicissima sententiâ referemus, Fidẽ esse certitudinẽ eorũ quæ non adparent. Obsecro quid est certitudo? at diuinarum ac spiritualium rerum nihil certo tenet natura, nisi per spiritum sanctum illustrata. Iam & sperandarum rerum argumentum adpellat. Non est igitur fides credere minis tantum, immo hoc potius timorem vocat scriptura, sed & promissionibus credere, hoc est, fidere misericordia & bonitate dei, aduersus iniuriam mundi, peccati, mortis, adeoque portarum inferi. Viden argumentum rerum quæ sperantur adpellari fidem. Non credunt igitur, qui non expectant promissam salutem. At dices, credo promissam salutem, sed alijs obuenturam. Sic enim sentit caro. Sed audi, An non hæc tibi quoque promissa sunt? An non in omnes gentes prædicatum est Evangelium? non credis igitur nisi tibi quoque salutem promissam credas. Certa impietas & infidelitas est, non omni verbo dei credere, aut credere non posse, quod & tibi sit promissa remissio peccatorum.

Subijcit autem definitionis exempla Epistola ad Hebræos. Fide intelligimus conditum esse mundum verbo dei, ut inuisibilia scilicet diuinitatis, & virtutis eius visibilia scilicet opera diuinæ potentiae fierent. Sic, n. hic locus cum eo qui est in

Romanis conuenit. Hic uero Sophistæ obstre-
 pent, inepte a nobis aliam requiri fidem præter
 historicam, cū Epistola ad Hebræos hic de histo-
 ria tanquā, nempe conditi mundi, loquatur. Sed au-
 di, quomodo quadrabit ad definitionē fidei præ-
 scriptam hoc exemplum, si ad solam historicam
 fidem pertinet? Proinde fidem historiæ de mun-
 do condito, nō opinionem tantū illam uulgarem
 quæ gentibus etiā, quæ Saracenis persuasa erat,
 sed cognitionem potentiæ & bonitatis ab opere
 creationis collectam uocat. Ea fides non alia erat,
 quā uel Petri, uel Pauli. Nam ut potentiam dei
 intelligit Petrus in resurrectione Christi, ut bo-
 nitatem, ut misericordiam intelligit, cum credit
 pro se Christum uictimā ac satisfactionē fuisse.
 Adeoq; nullo opere suo, sed simpliciter misericor-
 dia dei fidit, quā in Christo pollicitus est. Ita qui
 spiritu rerum conditionem æstimat, is & poten-
 tiam dei uidet auctoris tantarū rerum, & bonita-
 tem, cum se omnia uelut e manibus creatoris sen-
 tit accipere, vitam, uictum, sobolem, & illa per-
 mittit creatori, ut temperet, regat, administret,
 suppeditet, pro sua bonitate, quæ libet. Hæc fi-
 des est de rerum conditione, non frigida opinio,
 sed uiuacissima cognitio tum potentiæ, tum bo-
 nitatis dei, effundentis se in omnes creaturas, quā
 si possem explicare, ut rei dignitas postulat, quan-
 tum chartarum insumerem in hunc unum locū.
 Quanquā qui uere credit, quæ sit fides de rerum
 creatione, spiritu facile æstimabit. Fortasse ride-
 bunt hæc Sophistæ, sed rideant sane, dum refu-
 tare non possint, quæ ego tam firma esse scio, ut
 ac ab inferorum quidem portis possint conuellē.

Fides histo-
 riæ de crea-
 tione.

DE IUSTIFICATIONE

Vocat Paulus creationis fidem, augustius & viuacius quiddam, quā opinionem Sophisticam, cū ad Roma. i. ait, Inuisibilia dei nempe sempiternā virtutem, & diuinitatem conspici, per visibilia. Porro virtus dei seu diuinitas, quid nisi potentia & bonitas est? Et Actuum. xiiij. Non sine testimonio se reliquit benefaciens, de coelo dans pluuiam & tempora fructifera. Et quā suauiter oblectat se Dauid meditatione creationis, Psal. c. iij. Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tui. Item, Omnia a te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, apertente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Quæso te ad eum modum mysteriū creationis tractare potest caro? aut illud carnalium somniorum chaos philosophia, quæ cum contingenter euenire res arbitretur, plane negat opus creationis. Itaq; sicut legis populus potentiam ac bonitatem dei cognouit, in eo q̄ vindicatus est a seruitute Aegyptiaca. Sic enim ait Exodi. xx. Ego sum dominus deus tuus, q̄ eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis & c. & vt ante legē promulgatā cognoscebant patres deū, in ijs, quæ cū Abraham, Isaac, Iacob, gesserat. Quare deum Abraham & c. vocant. Ita ante hos creatio rerum erat signum certum & forma, e qua cognoscebat deus. Sic Abel, sic alij sancti credidere, quanquam horum fidem quoq; excitauit promissio de capite serpentis conterendo per semen Heuæ. Ideo subiicitur, Fide potiozem hostiam Abel, quā Cain obtulit. Erat in vtroq; dubio procul historię scientia, alioqui cur offerret Cain? Ergo cum fidem Abelo tribuit, non Cain, non aliquā historicam opinionem

Abel.

opinionem designat, sed fidem glorificantē deū, bene sentientem de deo, fidentem diuina misericordia &c. Hac fide vincebat Abel, per hanc fidē consecutus est testimoniū, q̄ esset iustus. Id quod diligenter adnotauit auctor Epistolæ, vt admoneret fidem esse, quæ pro iusticia reputaretur, nō hostiam, non vllum opus. Fide Enoch translatus est ne videret mortē, hoc est, quia credidit Enoch deo placuit, atq; ita, vt in ipso patribus ostenderet & argumentum & spem vitæ melioris, cum eum transferret. Quid. n. attinet quærere quorsum sit translatus, modo intellegamus eum velut specimen vitæ & certissimum argumentum immortalitatis exhibitū patribus ad confirmandam eorum fidem. Iam quod sequitur, sine fide impossibile est placere deo, credere enim oportet accedentē ad deum, & q̄ sit, & q̄ inquirentibus se, remunerator sit. Vides quā non possit de Sophistica fide intelligi, qua satis constat non confidere deo hypocritas q̄ misertus sit, q̄ beneuelit, q̄ sit saluatorus. Nam si interrogas eorum corda, nonne ita respondebunt, Nescio vtrum deo sint accepta opera mea, nescio vtrum possim saluari, Scio quidem promissam salutem, scio deum esse misericordem, sed fortasse mecum non ager pro misericordia. Ista mei rationem maiestas non habet, & hoc genus impia multa. Quamquam ne hæc quidem, quæ de dei iudicio loquuntur impij, ex vero corde proficiscuntur. Contemnunt enim dei iudicium, nō timent, donec a deo cōfundunt. Esset autem debellatum nobis, si cor magnitudinem bonitatis, & amplitudinem gratiæ concipere posset, atq; confidere. Non est oblitus tui

Enoch.

H

DE IUSTIFICATIONE

deus, tanta eius misericordia est, v. si te ei credas
seruet, tueatur, saluet. confide igitur. Quorū cor-
da ad eum modū erecta sunt sensu bonitatis dei,
quæ credunt SIBI euentura, quæ promisit deus.
ea demum vere credunt, deum esse remunera-
torem. Immo ea quoq; tandē vere credunt deū.
Non credunt enim impij, sed frigida opinione te-
nentur, cui non adhæret profunditas cordis. Fide
Noe. Noe responso accepto, metuens ea quæ nondum
videbant, parauit arcam ad salutem domus suæ.
Ecce duo complectit Nohæ fides, minas & pro-
missionem. Atq; id est, quod ante dixi, nulli ver-
bo dei impios credere, nec minis, nec promissio-
nibus. Nohe deo gloriam veritatis tribuit, ideo
& minas formidat, & promissio de salutis, adeoq;
misericordia fidit. Multi, ne dubita, illis quoq;
temporibus fuere hypocritæ qui fidem simula-
runt, esse deum, esse malorum vindicem, esse bo-
norum seruatorem. Sed hos illæ dei minæ nihil
mouerant. Quare? q̄ non crederent vero corde,
nec mouit promissio salutis, per Arcam, q̄ non
fiderent misericordiæ dei **SUPER SE.**
Adeo nihil est sophistica fides, nisi mera impo-
stura, merum ludibrium animarum, & tamen
impij & ^{ad eos} Sophistæ docent satis esse illam
suam fictam fidem ad bonum opus, cum bo-
num opus non sit quod aut odio aut contemptu
dei fit. Fit autē odio & contemptu dei, quidquid
non fit fiducia misericordiæ & bonitatis dei. Si-
cut Paulus ait, Peccatum est, quidquid non fit ex
fide. Et per Arcam, ait, damnauit mundum.
Nempe q̄ vnum fides seruarit, reliquos perdidit
incredulitas. Et quā sollicite monet, summam

esse iusticiæ, fidem misericordiæ & gratiæ dei, cū
 addit, & iusticiæ quæ per fidem est, hæres insti-
 tutus est. Nihil de figuris loquor, non quæro al-
 legorias, sed ad simplicissimã historiam me refe-
 ro. Iustificatur Noe non vlllo suo bono opere, sed
 sola fide misericordiæ dei, quã cū ex hac promi-
 ssione de se seruando ex aquis, tum ex ea, quæ de
 capite serpentis, hoc est, de aculeo mortis, conte-
 rendo, maioribus tradita erat conceperat. Fide ad-
 pellatus Abraham obedijt, vt in locū exiret quē
 accepturus erat in hæreditatem, & exijt nesciens
 quo iret. Fidebat Abraham misericordia, boni-
 tateq; dei nihil dubitans, quin vbicunq; gentium
 esset, deum esset habiturus protectorem & serua-
 torem, Ideo se eius voci cōmisit, deserens patriã,
 non aliter atq; se voci Mosi cōmittebant Israeli-
 tæ, cum alueum rubri maris ingrederentur. Por-
 ro quanta hæc Abrahæ fides fuit? quæ, quanquã
 tota ille vita vagaretur incertis sedibus, tamē nō
 est labefactata. Satis potens, satis opulentus, satis
 tuto loco colere sibi videbatur, quia sub vmbra
 alarum dei degeret. Iam in eo ipso etiã, quod certã
 in Cananæa sedē nec sibi, nec gnato contingere vi-
 debat, hospitem se huius terræ agnoscebat esse,
 ciuem fore æternæ ciuitatis sperabat. Fide & Sara
 vim accepit ad concipiendum, retinendumq; se-
 men. Viuificat em̄ & creat omnia verbum dei,
 quo cum fideret Sara, nempe promissione sobo-
 lis, qui fieri potuit, vt non ex sterili, ex effœta, fœ-
 cunda fieret. OMNIA enim possibilis sunt cre-
 denti. Sed Abrahæ fides vt oppugnata est, quam
 valido ariete concussa est cum Isaac, in quo scie-
 bat pmissam esse posteritatē, iubere immolare.

Caput ser-
 pentis.

Abraham.

Sara.

H ij

DE IUSTIFICATIONE

Isaac. Quam fuit autem constans in adolescente Isaac fides, cum patris imperio, cum voluntati diuinæ adeo nihil contaretur obsequi. Putas potuisse tam seuum imperium exercere patrem in filium, & eum quidem cui promissa erat posteritas. Putas filium obtemperatum fuisse patri, ni uterq; cōfusus misericordia diuina, illi se cōmisisset. Nec fefellit fides, seruatur filius, restituitur patri, colaudatur patris obedientia. Vides hic prælusum esse peccato & morti & iustificationi & resurrectioni, adeoq; toti nouo testamento. An non hic didicerunt non Abraham modo & Isaac, sed omnes pñ priusquã reuelaretur Euangelium, quid in morte sperandum esset de voluntate dei. An non hoc exemplo fidem victæ mortis, cōcepere patres? videruntq; prælusum Christo, qui caput serpentis, aculeum mortis contriturus esset. Fide Isaac benedixit Jacob & Esau, futurum credens, vt promissam terram olim occuparent. Iam hoc mirabilius est, q̄ ratam esse voluit benedictionē Jacob, quã is præriperat natu maiori fratri, cui iure gentium debebatur, nimirū fide diuini verbi. Maior seruiet minori. Fide benedixit Jacob filios Ioseph, quanquã iam exules, nihil dubitans tamen redituros in Cananæam, esseq; maximarum gentium primordia. Nec dubitarunt Moisi parentes quin redituri essent in palestina, quod in caussa fuit, cur occuluerint infantem, spem generis. Deinde etiam, cur expositum commiserint potius diuinæ misericordiæ, quã necarint.

Adde si voles & reliqua exempla, nos formã exemplorum tractandorum delineauimus, docuimusq; non de sophistica hypocrisi, sed de fide lo-

qui eius Epistolæ auctorem, hoc est, de fiducia misericordiæ seu gratiæ dei.

Hic non vides discrimen promissionum diuinarum, sed simpliciter verbum fidei esse, promissionem misericordiæ & gratiæ dei. siue de rebus æternis, siue de rebus temporalibus agatur. Quamquam fere promissiones rerum spiritualium ex corporalium promissionibus colligi possint, non dico per allegoriam tantum, sed claro & aperto argumento spiritus. Quid in morte sperandum esset Abrahamum perspicuo docebat filij immolatio. Iam hoc quoque non adtinet discernere promissiones, quæ in primam promissionem de semine Heuæ, id est, Christo, omnes reliquæ directæ sunt. Ideo expectabatur posteritas, quia semen illud expectabatur, scilicet Christus. Atque ita renouata est promissio Heuæ facta, in promissione Abrahamæ facta, cum inquit Genesis. xxij. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quod nisi de Christo exponi non potest. Atque ita interpretatur Apostolus ad Galat. iij. In semine tuo, qui est Christus, & expectatam esse posteritatem expectatum esse regnum propter Christum promissum satis declarat Iacob Genesis. xlix. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, vbi quid aliud voluit, nisi regni, adeoque omnes corporalium rerum promissiones in Christum referri, & in Christo consumari. Hoc in causa est, cur nullo discrimine Paulus quasuis promissiones Abrahamæ factas citat, Ad Galatas iij. In te benedicent omnes gentes. Et ad Roma. iij. dicit Abrahamæ promissam hereditatem mundi,

Omnes promissiones sunt directæ in Christum.

Pertinere ad Christum et Christianos omnes promissiones, tum corporales tum spirituales.

H iij

DE IUSTIFICATIONE

& q̄ filij Abrahæ sint ex omnibus gentibus qui credidere, & q̄ omnes fideles sint reges in Christo rege. Sicut psalmus ait, Omnia subiecisti sub pedes eius. Rursum, qui manifeste reuelato Euangelio in Christum credunt, in eo omnes corporales benedictiones habent, nã si proprio filio deus non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ, quomodo non omnia cum eo donarit? Idem apparet ex regni ratione, q̄ omnes creaturæ, vt Christo, ita illius fratribus subiectæ sunt, mors, fames, gladius, potestates, summa, infima, peccatum, deniq; quidquid est omnium rerum, quas metuere humana imbecillitas solet, in nostra potestate est, sub pedes nostros subiectum est, nisi regnare Christum non credimus. Huc illud pertinet, quod supra dixi, fidem spargi in omnes casus vitæ, mortisq; nostræ, q̄ nulla creatura recte vtamur, nisi per fidem, q̄ omnibus creaturis ab vtamur per diffidentiam, hoc est, non credentes in creaturæ vsu nos placere deo, diffidentes in vsu creaturæ de misericordia, de beneuolentia dei erga nos. Abutitur inopia, morte, aduersis rebus, qui non credit diuinæ misericordiæ opera esse, qui hic diffidit, ad humana præsidia profugit, qui dubitat se in Christo vincere posse. Sic abusus fuisset tristissimo imperio de mactando filio Abraham, nisi libenter obsecundans, comisisset se misericordiæ diuinæ confisus nihil non agi secum a deo paterno adfectu. Non minus abutitur pecunia, vita, secundis rebus, qui non agnoscit esse dona misericordiæ diuinæ, qui non vtitur fideliter, tanquam alienis donis &c.

Sūma, Omnia habet, omnia potest, qui Chri

Regnum
Christi.

atum habet, hic iusticia, pax, vita, salus est. Et in hunc modum vides coherere promissiones diuinas. Nam prorsum singulæ significationes & testimonia bonæ voluntatis dei erga nos sunt, quã alias alio opere alio dono nobis cõmendat & insinuat. Ita in hoc per vniuersæ scripturæ historiã totus incumbit, vt doceat, vt adsuefaciat nos cõfidere sua bonitate, quã si quis in tot, tamq; multiplicibus promissionibus contempletur, is quomodo cohibere se poterit, quo minus in illius tantæ misericordiæ sinum effundat animum, & spiritum. Porro gratiam patris meruit Christus, quem pro nobis intercessorem, quem pro nobis victimam & satisfactionem dedit. Sic. n. deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret pro mundo. Huic quia fauet, nobis fauet, huic quia omnia subiecit, nobis subiecit. Ita omnes promissiones in eum, nempe qui nobis emeruit misericordiam patris, qui nobis conciliauit patrem, referendæ sunt. Sicut Iohan. i. De plenitudine eius omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia, fauorem erga nos, pro fauore erga Christum. Exercebis spiritum meditatione promissionum accurate, q̃ nisi e promissionibus cognosci neutiquã poterit Christus. at nisi Christũ noris, nec patrem cognosces. Huc igitur omnes, spiritus tui cogitationes adfer, huc incumbere, vt ex promissionibus cognoscas, quæ tibi in Christo sint donata. Quæso aut vbi pmissionũ scholastica theologia vel verbo meminisset? Atq; ita factũ est, vt gratiã Christi obscurarit, vt ex Christo nõ pignõ misericordiæ, sed legislatorẽ & exactorem multo tristiores faceret, quã Moses etiam visus est.

DE IUSTIFICATIONE

Et de promissionibus quidem hactenus, quæ omnes in primam illam, quæ Heuæ facta est, referri debent. qua significatum fuit Adæ ac Heuæ futurum, vt peccatum & mors, illius peccati pœna, olim abolerentur, cum scilicet serpentis illius caput Heuæ progenies contereret. Quid enim caput serpentis, insidiæ serpentis, præter peccati mortisq; regnum significant? Ad hanc si reuoces reliquas promissiones, videbis in vniuersam scripturam mirifice sparsum esse Euangelium, quod est simpliciter condonatio peccati per Christum, seu prædicatio gratiæ. Quanquã vt paulo ante dixi, promissiones omnes etiam corporalium rerum, sunt testimonia beneuolentiæ, seu misericordiæ dei, quibus qui credit, quia de deo benefertur, eiq; laudē clementiæ & bonitatis tribuit, is iustus est. Nondum credit omni verbo dei qui minas audit, qui historiã profitetur, sed qui præter minas, præter historiã, etiam promissionibus credit. Neq; vero historiæ de Christo credere, id est, quod putant impij, sed credere cur carnem induerit, cur crucifixus sit, cur post mortem in vitã redierit. nempe, vt iustificaret, quotquot credituri sibi essent. Hæc tu si credis, tuo bono, tui seruandi gratia gesta esse, foeliciter credis. Præter eiusmodi fidem, fucus, mendacium, falsæ insaniæ sunt quidquid vocant fidem.

Et quid in causa est cur soli fidei tribuat iustificatio? Respondeo, cum sola misericordia dei iustificemur, fidesq; plane sit misericordiæ cognitio, qualicunq; promissione eam prehenderis, soli fidei tribuitur iustificatio. Qui mirantur cur soli fidei iustificatio tribuatur, n̄ mirentur etiam cur

miseri cordiæ dei tantum, ac non potius humanis meritis iustificatio tribuatur. Est enim credere, nullo vllorum operum nostrorum respectu, fidere diuina misericordia. Misericordiæ dei iniurius est, qui fide iustificari sanctos negat. Nam cum iustificatio nostri solius diuinæ misericordiæ opus sit, non operum nostrorum meritum. Sicut aperte docet ad Romanos. xi. Paulus, necesse est vt iustificatio soli fidei tribuatur, nempe, qua sola promissam misericordiam accipimus.

Quid igitur opera? quæ præcedunt iustificationem, liberi arbitrii opera, ea omnia maledictæ arboris, maledicti fructus sunt, & vt pulcherri marum virtutū exempla sint, quales erant ante conuersionem Pauli iusticiæ, tamen, nihil nisi fucus & mendacium sunt, q̄ ex impuro corde proficiscantur. Cordis impuritas, ignoratio dei est, non timere deum, non fidere deo, non requirere deum, vt supra monuimus. Nihil enim caro nisi carnalia sapit, ad Romanos. viij. Caro adfectat ea quæ sunt carnis. Et prima ad Corinth. ij. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Quis cognouit sensum domini &c. Intelligit, sapit, adfectat, gloriam, opes, vitæ tranquillitatē, ac dignitatem, natura. Qualia multa philosophi inter fines bonorum numerant, alius *εὐδυσμίαν* alius *εὐαλγησίαν*, Diuini nihil adfectat natura, id quod adparet. Nec enim terreū verbo dei, nec ad confidendum animatur. Et talis quidem arboris fructus, quid nisi peccata sunt?

Quæ vero opera iustificationē consequuntur, ea tamen a spiritu dei qui occupauit corda iusti

DE IUSTIFICATIONE

ficatorum proficiscuntur, tamen quia fiunt in carne adhuc impura, sunt & ipsa immunda. Cœpta enim iustificatio est nō consummata. Primitias spiritus accepimus, nondum decimas. Adhuc expectamus, vt ad Roma. viij. dicitur, cum gemitu redemptionem corporis nostri. Proinde q̄ in his etiā operibus immundum quiddam est, iusticiæ adpellationem non merentur. & quaqua te verteris, siue ad opera præcedentia iustificationem, siue ad ea quæ sequuntur iustificationem, nullus nostro merito locus est. Adeoq; solius misericordiæ opus esse iustificationem necesse est. Hoc est quod ait Paulus ad Galat. ij. Quod autem nunc vivo in carne, in fide filij dei vivo, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Non autē ait, in meis bonis operibus nunc vivo, sed in fide misericordiæ dei vivo. Porro q̄ ea opera quæ iustificationem sequuntur, pro peccatis non imputantur, fides facit. Qua de re paulo post agetur.

Ergo cum fidei iustificatio tribuitur, misericordiæ dei tribuitur, humanis conatibus, operibus, meritis adimitur. Initium ac profectus misericordiæ debent, vt vniuersæ vitæ iustitia non alia sit, nisi fides. Hoc est cur Christi regnum, misericordiæ regnum vocet propheta Esaias. xvi. Et præparabitur in misericordia solium &c. Nā si nostris operibus iustificaremur, non iam Christi, non misericordiæ, sed nostrum, sed operum nostrorum regnum esset. Et Oseæ. ij. Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia

ego dominus. Et psalmo. lxxxviii. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Misericordia liberalis fauor est, qui meriti nostri nullam habet rationem. Veritas est opus dei, vere non ἰπικεῖταικῶς iustificantis nos. Et qd adinet multa congerere, cum propheta Esaias cap. liii. primū palam damnet iusticias omnes nostras, cum inquit. Omnes nos velut oves errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et paulo post, non ait operibus nostris, non egregijs voluntatis nostræ conatibus, non consilijs nostris, sed ipse Christus, cognitione sui iustificabit multos. Ecce cognitio Christi iustificatio est, cognitio autem sola fides est. Hoc genus alia per se obseruabit diligens lector. Nam fidei naturam ac vim non videor mihi posse verbis, vt optabam, explicare. Qui norunt peccati vim, quorum conscientias peccati cognitio perculit, ijs demum voluptati est hanc de fide doctrinam audire. Cæterum velatum est Euangelium nostrum in hypocritis, in quibus deus huius seculi excæcauit mentes infideles, vt ne illucesceret eis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei.

Dices, Nihil igitur meremur? Ecquid scriptura toties mercedis vocabulo vtit. Respondeo, merces est, debeturq; non merito vllō nostro, sed qd pater promisit, iā velut obstrinxit se nobis ac debitorē fecit, ijs qui tale nihil meruerāt. Quid. n. clarius aduersus merita nostra dici potuit, quā qd est apud Lucam capitulo. xvij. Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quod imperauerat?

DE IUSTIFICATIONE

Non puto, Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Et Paulus ad Roma. vi. Stipendium peccati mors, donum autem dei vita æterna. Vitam æternam donum vocat non debitum, quanquam & debitum est, quia pater eam promisit, qui nobis fidem suam obstrinxit.

Nec est quod offendant ij loci scripturæ, qui operum merita prædicare videntur, qualis hic est ad Roma. ij. Gloria & honor omni operanti bonum. Et Matt. xxv. Esuriui & dedistis mihi manducare &c. Nam huiusmodi multa sunt in scripturis. Respondeo paucis, scripturam non de specie tantum externa operis, seu de fuce loqui, sed de toto opere, hoc est, cum de externa specie, tum maxime de voluntate, auctore operis, seu de affectu. Bonum opus vocat scriptura, non simulationem tantum externam operis, sed totum opus, hoc est, bonum adfectum, & eius adfectus fructum, non aliter atque communis hominum sensus loqui solet. Quis enim bonum opus vocat, quod a maligno animo proficisci nouit? Itaque cum Paulus ait, Gloria & honor operanti bonum, non videtur quibus hic glossæ matis opus habeamus, quominus, quam simplicissime, vt loquitur, intelligatur. Non enim ait Paulus, Simulanti bonum, sed operanti, corde, affectu, manibus, opere &c. Deprauant ergo id quod ab Apostolo simplicissime rectissimeque dictum est, qui verba eius non de toto opere, non de vita, ac anima operis, sed de specie externa operis exponunt. Recepta etiam vulgo in scholis sententia est, & communis naturæ sensus docet, nullam esse bonitatem operis, præ-

ter adfectum. Cōmunem sensum consulant qui de parte operis, non de toto opere scripturam interpretantur. Quid quod eodem loco pulcherrime Paulus ad fidem refert bene actam vitam, docetq; ex fide, ceu fonte, exorta esse bona opera? cum inquit, Quærentibus gloriam & honorem per perseverantiam boni operis. Quærere enim quid aliud est, quã quod ad Hebræos. xi. scriptū est. Credere oportet, accedentem ad deum, quod sit, & q̄ remunerator sit inquirentibus se. Quærunt qui credunt, qui fiducia verbī dei trahuntur ad gloriam. Item, qui potest fidei vis ac natura exprimi certius, quã verbo perseverandi? cum inter tot illecebras carnis & mundi, inter tot afflictiones consistere ac perdurare in bonis operibus nemo sine magna fide possit. Rursum & vitam male actam eodem loco ad incredulitatem refert, cum ait. Contentiosus, & qui non acquiescunt veritati. Nō acquiescere veritati, quid aliud est quã diffidere? Contentiosi qui veritati aduersantur, qui carnis opinionem sequuntur. Nam quisquis palam peccat, is aut contemptu dei, aut desperatione misericordie dei peccat. Sennacherib. iij. Reg. xiiij. Quia nihil esse deum censebat, in Israelem arma impia mouit. Cain, quia desperabat misericordiam, ideo nihil non ausus est postea. Nemo est enim, qui, si consideret futurum, vt sui miseresceret deus, non cupidissime legi dei se accomodaret. Sed quia contentiosi sumus, ipsi disceptamus nobiscum, de diuinæ iræ ac misericordie amplitudine, angustius quidam sentimus, quam res est. Ideo contemptu tum iræ tum misericordie dei, deflectimus ad cupiditates no

DE IUSTIFICATIONE

stras, nihil non audemus impij, cæci, furentes, vel gloriæ, vel rerum, vel voluptatum amore. Miserum spectaculum, si illam cordis tui impiam insaniam, & insanam impietatem cernere contingat. Viden, quam adposite ad fidem retulerit Paulus bene actam vitam, ad incredulitatem, male actam. Sic alios locos circumstantiæ exponunt, vt peregrinis glossematis nihil opus sit. Quorum tractationem industriæ spiritualium lectorum relinquo. Nam illos male feriatos Sophistas, nolo, quibus nihil tam bene, tam simpliciter dictum est, quod non peruertant, distinguant, discerpant in mille formas. Certe in illo Matthæi loco quem citauimus obscuritas nulla est, si recte rem æstimes. Nam vt hæc non vream, quod cum benedictos patris sui vocat, significat salutem benedictione diuina, non nostris meritis contigisse, negari non potest quin de fidei fructibus loquatur Christus, cum inquit, Esurij, & dedistis mihi māducare. & paulo post, Quod vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. Nam quia credunt iusti se Christo facere, quod illis faciunt, recte agunt. Ea fides distinguit opera. Hypocritæ nō alunt, nō potant Christum, sed se. Sux enim gloriæ seruiunt, quantumuis pulcherrimarū virtutum specimen præ se ferant. Hæc satis sit monuisse, vt formā huiusmodi locorum tractandorum habeant studiosi, nam mihi commentarij modus temperandus est.

DE FIDEI EFFICACIA.

IAM hoc quoque spectandum est, q̄ opera, vt fructus, ita iudicia, testimonia, signa spiritus sunt, vt Christus ait, Ex fructibus eorum

DE FIDEI EFFI. FO. LXV.

cognoscetis eos. Nam fieri nequit, vt perpetuo
 dissimuletur hypocrisis, & fides non potest non
 effundere se, quia in omnibus creaturis deo cupi-
 disse seruiat, vt pio patri pius filius solet. Nam
 vbi fide degustauimus misericordiam dei, & cog-
 nouimus bonitatem diuinam per verbum Euan-
 gelij, condonantis peccata, promittentis gratiam
 peccati, non potest animus non redamare deū, ac
 gestire, & velut gratitudinē suam mutuo aliquo
 officio, pro tanta misericordia testari. Quod sig-
 nificatissime dixit Paulus, Fide nos clamare abba
 pater. tam quia vere se talis mens subiicit deo, am-
 bitio, æmulatio, liuor, inuidia, auaritia, volup-
 tates, & horum fructus iugulantur. humilia sa-
 pit, sese odit, suas cupiditates omnes abominat.
 Et quod aptissime dicit Paulus ad Roma. vi. iam
 pudet eorum quibus antea fruebamur. Effundit
 ergo se in proximos quosq; , illis inseruit, illis se
 prebet vtendum, illorum necessitatem pro sua
 ducit, omnia eū omnibus candide, sinceriter, nihil
 ambitiose, nihil maligne agit. Hæc efficacia fidei
 est, vt ex his fructibus facile adpareat in quorū
 cordibus vera fides sit. De tali fide ad Galat. v.
 Paulus scribit, In Christo Iesu neq; circuncisio ali-
 quid valet, neq; præputium, sed fides quæ per ca-
 ritatem efficax est. Fidem dicit in Christo valere,
 deinde eam fidē eiusmodi esse, quæ se per caritatē
 effundat in vsus proximi. Et egregie Iohannes. i.
 Iohan. iij. Omnis qui diligit fratrem suū, ex deo na-
 tus est, & cognoscit deū. Qui nō diligit, nō nouit
 deū, q̄ deus caritas sit. Et. ij. Pet. i. Subministrate
 in fide vestra virtutē, in virtute vero scientiam,

DE IUSTIFICATIONE

in scientia vero temperantiam, in temperantia vero patientiam, rursus in patientia pietatem, in pietate autem fraternam caritatem, in fraterna vero caritate, dilectionem. Hæc enim si adfuerint nobis, efficient ut ne sit infrugifera cognitio domini nostri Iesu Christi. Qua gradatione Petrus fidei, velut radici, pulcherrimos ramos, reliquas virtutes inserit, ut fidem virtus, id est, feruor, & impetus mortificandæ carnis comitetur. Sed eum feruorem regat scientia, ut suum quoque pensum corpori preestetur, Sit aliqua ratio, qua domitum corpus seruiat spiritui *εὐπροσέδραως*, ut Paulino verbo utamur, non interimatur. Rursum ea tenus seruiatur necessitati corporis, ut ne luxuriet, ut temperans sit. Iam præter temperantiam & malorum tolerantiam accedat. Sunt enim temperantes plerique, sed offensi implacabiles. Tolerantiam comitetur pietas, hec est, ut aduersa non modo coram hominibus placide feramus, sed etiam coram deo, gratias illi agentes, qui nos mortificet, nihil indignantes voluntati dei, sicut fremebant aduersus voluntatem dei, Israelitæ, qui in deserto periere. Pietas efficiat fraternam caritatem, hoc est, ut de ijs ipsis bene mereamur, qui nos persequuntur, ut inimicos beneficijs inuitemus. Demum, ut id ex sincero pectore proficiscatur, ut in vniuersum omnes ex æquo & candide diligamus. Summam habes vniuersæ vitæ Christianæ, fidem, cum fructibus suis. Nec est quod virtutum genera & formas distinguamus philosophorum & scholasticorum more, in morales theologicas, dona, fructus, quemadmodum Aquinas incepit cum suis. Vnica fides est, sensus misericordiae

DE CARITATE. FOL. LXVI.
ricordiae dei, quae omnium bonorum operum et
fons, & vita & rector est.

DE CARITATE
ET SPE.

EX HIS adparet, quomodo ex fide nascan-
tur Amor dei, & amor proximi, quae cari-
tatem vocant. Efficit enim cognitio miseri-
cordiae diuinae, vt redametur deus, efficit, vt nos
sponte omnibus creaturis subiiciamus, qui proxi-
mi amor est.

Porro & spes fidei opus est. Nam fides est qua
verbo creditur, spes qua expectat, quod per ver-
bum promissum est. Vt expectemus fides verbi
dei facit. Iuxta illud psal. ix. Sperent in te omnes
qui nouerunt nomen tuum. Non est autem cur se-
pares alterum ab altero. Certe promiscue vsurpat
scriptura spei, ac fidei expectandi sustinendi vo-
cabula. Et sicut fides, est fiducia misericordiae dei
gratitae, nullo operum nostrorum respectu, ita
spes est salutis expectatio, nullo nostrorum me-
ritorum respectu. Immo ne spes quidem de deo
est, ni non sit de meritis. Quomodo enim de mi-
sericordia sperat, qui velut debitam suis meritis
mercedem postulat. Gaudet afflictus conscientia,
gaudet Euangelicus peccator, nullum esse meri-
torum respectum. Indignatur hypocrita, vt sit
Christus scandalum Iudaeis, & stultitia gentibus
salus autem & sapientia credentibus.

Obijcitur ijs qui fidei iustitiam vindicant, id
quod in priore ad Corinthios scriptum est, in cap.
xiij. Si habeam fidem tantam, qua montem trans-
feram, caritatem autem non habeam, nihil sum.
Quaeso autem vos Sophistae, cur cum videretis

DE CARITATE

uniuersam scripturam in eo esse, vt doceat misericordiae opus esse iustificationem, & Paulum toties nihil obscuris verbis ingeminare hanc, iustus ex fide uiuit. Item, Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Item, Corde creditur ad iustitiam, & huiusmodi multa, hanc vnam ex Corinthiis sententiam, vniuersae scripturae, omnibus vbiq; Epistolis Pauli sic opposuistis, vt reliqua omnia glossematis excusaretis, hanc temperare interpretatione nolueritis? Nos nullo glossemate eam simplicissime, vt est simplicissime dicta, efferemus. Primum satis constat, Paulum eo loco de amore erga proximum loqui, cui nec scholae vestrae principium iustificationis tribuunt. Nam commentum illud nihil moror, eundem esse amorem dei & proximi. Deinde negari non potest quin hic fidei vocabulum pro dono, seu facultate designandorum miraculorum usurparit, id quod & caput. xij. testatur, vbi sic legitur. Alteri fides in eodem spiritu. Receptum est autem posse etiam in impios conferri faciendorum miraculorum χάρισμα, non aliter atq; prophetiam, linguarum peritiam, eloquentiam.

Matth. viij.
In nomine
tuo virtutes
multas feci-
mus.

Mea est sententia, vt maxime non separem fidem iustificantem a dono miraculorum, Paulum hic, sicut & pene in tota illa Epistola, praeter fidem, exigere caritatem. Non aliter atq; a creditibus, a iustificatis, alias exigit bona opera in omnibus Epistolis. Tametsi illis fructibus per sese non vacet fides, tamen exigit, propter fidei nostrae imbecillitatem. Et q; ait nihil esse eum, cui sit omnis omnino fides, cura caritatem, recte sen-

tit. Quanquā. n. sola fides iustificet, tamen & caritas exigitur, nempe legis altera pars, ad Roma. xij. Tota lex repetitur in hoc, dilige proximū sicut teipsum. Non iustificat autē caritas, eo q̄ nemo diligit, quantū debet. Fides iustificat, quæ misericordia dei, nō suo merito fidit. Quid autē, q̄ inter tria, fidem, spem, & caritatem, maximam caritatem esse dicit; Primū, vt maxime donarem eum Pauli locū de amore dei exponi debere, permitteremq; amorem, maiorem esse fide, non statim consequeretur, non esse ex fide iustitiam. Sed Paulum satis adparet fidem, spem, & caritatem inter se penes fructus conferre. Nam ibi de iustificatione non differit. Amplior autem caritas est, & plus fructuū fert cæteris. Nam fidei cū deo res est, caritati cū proximo, cui per opera seruitur.

Supereſt Iacobi ſententia, Fides ſine operibus mortua eſt. Bene quidem ille. Nam eos reprehendit, qui iudicabant hiftoricā opinionem de Chriſto fidem eſſe. Propterea ſicut Paulus aliā fictam fidem adpellat, aliam veram, ita Iacobus aliam vocat fidem viuam, aliam mortuam. Viuā fidē, efficacem illam et ardentē fiduciam miſericordiæ dei, nunquā non parturientem bonos foetus. Hoc eſt, quod ait, Operibus fides conſumata eſt. Item, quia viuacem in Abrahamo fidem fuiſſe, opera declarant, ideo ſcriptura impleta eſt dicens, Credidit Abraham deo, & reputatum eſt ei ad iuſticiam. Itaq; in ſumma hoc agit Iacobus, mortuam fidem, hoc eſt, frigidam Pariſienſem opinionem non iuſtificare. Fidem viuam iuſtificare, Viuam vero eſſe quæ ſe in opera effundit. Sic enim inquit, Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus,

DE CARITATE.

& ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Non autem ait, ego ostendam tibi opera sine fide. Quadrat autem ad hanc meam expositionem aptissime, id quod dictum est, Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. ut satis adpareat cum hoc tantum docere, quod in his inter mortua sit fides qui fructum fidei non faciunt, quanquam in speciem credere videantur.

Non erit inutile & hoc monere, de quo ambigi passim video, qui sciat homo, Num in gratia dei sit, cognosci ne possit in nostro corde fidem inesse? Duplex quaestio est, nam priore, de voluntate dei erga nos, non de nostris adfectibus. Posteriore de nostris tantum adfectibus, quaerit. Et scholastici quidem foedissimo errore, neutrum sciri posse traderunt, ut vel hoc solo loco satis adpareat, nihil fuisse spiritus, in toto isto genere. Nam quod ad carnem attinet, cum illa in uniuersum sit ignorans dei, voluntatem erga se diuinam qui cognoscat? Et quomodo de spiritualibus adfectibus caro iudicabit, quae ne suos quidem adfectus bene compertos habet? Prauum enim cor hominis, & inscrutabile est. Sic ergo scholastici, fingeant in hominis anima, stertere aliquot qualitates, quas ipsi nos ignoraremus. Praeter ea, ut nobis velit deus, ne quaerendum quidem esse, ita ut apud sese conscientia perpetuo in incerto fluctuet. Quod quid aliud est, quam desperationem docere? Equidem sic sentio. Primum, quod ad diuinam voluntatem attinet, fidem non aliud esse nisi certam & constantem fiduciam benevolentiae diuinae, erga nos. Voluntas dei cognoscitur, sed fide, ex promissione seu Euangelio. Non, n. tribuis

gloriam veritatis deo, si ita velle deum, vt Euangeli-
 gio testatus est, non credis. Sciunt se esse in gra-
 tia dei, hoc est, habere beneuolentem deum, qui
 verbo dei credunt, qui voluntatem dei æstimant
 ex verbo suo, non ex nostris meritis. Sic Paulus
 ad Roma. iij. cum multis argumentis docet, ex
 fide iusticiam esse, tandem velut efficacissimam
 rationem hanc subiicit. Quod si ex operibus no-
 stris potius esset iustificatio, quã ex fide, nunquã
 conscientia conquiesceret, iam hoc, iam illud in vi-
 ta, in opere nostro desiderans, vt fieri non posset,
 quin desperaret. Sic enim inquit, Ideo non ex ope-
 ribus, vt secundum gratiam firma sit promissio.
 Et prophetæ quoties de securitate gloriantur. Osee
 ij. Dormire faciam eos fiducialiter. Et Hierem. xxij.
 In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit
 confidenter. Quid autem aliud significant voces,
 fiducialiter, confidenter, & similes, nisi securita-
 tem. Atq; eam quidem securitatem pulcherrime
 expressit Micheas. Sedebit vir sub vite sua, et sub
 ficu sua. Et nihil obscure Esaias, xxxij. Et erit opus
 iusticiæ pax, & cultus iusticiæ silentium, & secu-
 ritas vsq; in sempiternum, Et sedebit populus
 meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fi-
 duciæ, & in requie opulenta. Ad hunc modum pro-
 phetæ describunt regnum Christi, fore regnum
 securitatis. Quæ autem securitas erit, si de volun-
 tate dei perpetuo ambigunt conscientiæ? Necessè
 est igitur certos nos esse de gratia, de beneuolen-
 tia dei erga nos. Hoc est, quod apud Hierem. ix. do-
 minus inquit, In hoc gloriatur, qui gloriatur, scire
 & nosse me. Vult cognosci voluntatem suã deus,
 vult gloriari nos de voluntate sua. Quid est igitur

DE CARITATE

magis impium, quã negare, vel non debere, vel
nõ posse cognosci voluntatem diuinam. Nempe
cum eam expresserit verbo suo? Et interrogemus
Sophistas, credant ne id quod in symbolo aposto-
lico est, Remissionem peccatorum? Item, credãt
ne sententiæ sacerdotis, cum absoluuntur. Quod
si credunt, necesse est vt agnoscant se esse in gra-
tia dei. Quod si non credunt, cur confitentur? Sce-
lesti Roma, & auctor Bullæ Romanæ Eccius,
damnarunt articulum quendam Lutheri de fide,
qui docet, Absolutioni credendum esse. Respon-
deant igitur, cur audiant absolutionem, nisi cre-
dant. Obscura est impietas hæc, & perniciosior
quã quisquam putet. Nec dubito quin multas ani-
mas necarit, quæ ad desperationem isto carnali,
Sophistico, Parisiensi dogmate adactæ sunt. Dis-
perdat dominus omnia labia loquentia menda-
cium. Christiana mens facile experientia magi-
stra discet, nihil esse Christianismum, nisi eiusmodi
vitam, quæ de misericordia dei certa sit. Ad
Romanos. xij. Vt discatis quæ sit voluntas dei bo-
na, perfecta, bene placens &c. Ergo inquit So-
phistæ, nihil est quod timeamus? Recte, si vacet
fide timor, impius fuerit. Porro qui cum fide con-
iunctus est, is non est misericordiæ ignorantia.
Sed cum Iob inquit, Verebar omnia opera mea.
Sancti timent propter opera sua. Fidunt autem
misericordia dei, hypocritæ fidunt operibus, Mi-
sericordiam dei ignorant. Immo & timorem dei
ignorant. Sicut dixit propheta, Timor dei non est
coram oculis eorum. Id quod adparet in hypocri-
ta apud Lucam. xvij. Docebit autem scripturæ
vſus collationem timoris & fidei. Nunc hoc mo-

ntuisse satis sit, Timorem ad opera nostra, fidem ad misericordiam dei referri debere. Sancti timoris fides auctor est. Qui metus fiducia bonitatis dei vacat, is impius sit, necesse est.

Quod ex Ecclesiaste citatur. viij. Nescit homo, vtrum amore aut odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur. non efficit ignorare hominem, condonarit ne noxam deus, an contra. Alio qui hoc etiam inde effecero ignorari, irascatur ne peccato deus, an contra. Neq; satis demirari possum hoc loco versutiam Satanæ, quom hac sententia scripturæ abusum video mirifice, non fidem modo, sed & timorem ex hominum peccatoribus excussisse. Quid aliud *κυβείων & πωνοῦργίαν πρὸς τὴν μεθοδείων τῆς πλάνης* vocat Paulus, si non Parisiensem Theologiã, quæ tam callide scripturam euertit. Hoc in vniuersum agit eo libro Solomon, non esse humanis argumentis iudicandum de iudicijs dei. adeoq; impiæ philosophiæ calumnias aduersus iudicia dei refutat. Atq; vtinam pro pestilente philosophia hic liber iuuentuti exhiberetur discendus, quo corda infirma fide ac timore dei stabilirentur. Nunc philosophica impietate, impijs poetarum ac oratorum sentencijs naturæ impietas excitatur, quæ modis omnibus verbo dei premenda & reuellēda erat. Sic ergo Solomon, Sunt iusti, sunt sapientes, sed nihil est, quod vel iusticia, vel sapientia fidere possint. Nam eorum opera sunt in manu dei. Ecce quam magnifice vno versu, & timorem & fidem docuerit Solomon, cum vetat fidere iusticia, aut sapientia nostra. Rursum, cū in manu dei

DE CARITATE

sint opera iustorum & sapientum, præcipit illo
fidere qui in potestate sua habet spiritum sapien-
tium ac iustorum. Post sequitur, Sunt qui diliguntur
a deo, sunt quos auersatur deus, sed ex facie
ab homine cognosci non possunt, sed omnia ser-
uantur in futurum. Id est, ratio humana iudicat
deo acceptos esse, quos donis suis, opulencia, sa-
pientia, iustitia, gloria cumulat. Rursum inuisos
esse deo, quibus illa desunt. Atqui falso iudicat ad
eum modum ratio. Diligit enim vel maxime in-
opes illos, caiamitosos, viles, abiectos. Odit vel
maxime quos immodice cumulare solet. Vtriusque
exemplum in filiis Israel & Pharaone habes. Hoc
igitur agit, non posse discerni inter pios & impios
ab externis euentibus, quemadmodum humana
ratio iudicat. Nam si de sua cuiusque conscientia iu-
dicio Solomonem interpreteris, non video qui
ignoret peccator odium dei, cum nihil sit certius,
quam offendi deum peccato. Deinde ut maxime do-
nemus Solomonem de iudicio conscientia sancto-
rum accipi debere, hoc tantum effeceris, sanctos
nondum esse securos, nisi quatenus credunt. Iux-
ta illud Roma. viij. Spe salui facti sumus. Immo
fides plane sola, sanctorum securitas est. Sed ut fi-
de misericordiam norunt, ita fidei timore diui-
nae voluntati iudicandos ac damnandos permit-
tunt, ut dent gloriam deo. Sic enim precamur, Fi-
at voluntas tua. Exemplum Davidis habes. ij.
Reg. xv. Si inuenero gratiam in oculis domini, re-
ducat me & ostendet mihi eam, & tabernaculum
suum. Si autem dixerit mihi non places presto sum.
Faciatur quod bonum est in oculis suis. Non potest
enim a fide timor separari. Fides misericordiam

dei solam intuetur, Timor iudicium dei & opera
 nostra. Sic Paulus ad Roma. xij. Tu fide stas, ne
 efferaris animo, sed timeas. Item, cum in eo sit to-
 tus ille Solomonis liber, vt doceat, Carni nō esse
 iudicandum de diuinis consilijs, vt abdicati a no-
 bis & timeamus deum, & credamus ei, nō inep-
 te opinor videri pōt hoc monere, ignorari quos
 elegerit, quos reiecerit deus. & ne superbiant san-
 cti, & ne desperent peccatores. Cæterum verba
 Solomonis hæc sunt, quantum intellego. Et dile-
 ctionem, & odium ignorat omnis homo in facie
 eorum, eo q̄ iuxta eueniant omnia iusto ac im-
 pio. Vnde satis adparet Solomonem, non de suæ
 cuiusq̄ conscientia iudicio, sed de ratione discer-
 nendi pios ab impijs, extrinsecus, & ab alijs, lo-
 qui. Quod in latinis legitur, omnia in futurū ser-
 uantur. additum videtur ab interprete declarandi
 gratia. Nec in Hebræis, quod sciam, nec in græcis
 codicibus extat. Sed hæc lōgiorem alicubi dispu-
 rationē desiderant. Certissima sentētia esto, oport-
 ere nos certissimos semper esse, de remissione
 peccati, de beneuolentia dei erga nos qui iustifi-
 cati sumus. Ideoq̄ sacramenta seu signa misericor-
 diae dei, promissionibus sunt addita, vt postea di-
 cam, quæ certissime testarentur nobis contigisse
 beneuolentiam dei. Vt certus est scenerator, se
 ab eo pecuniam adcepturum, cuius consignatum
 αὐτογράφων ea de re habet. Ita vt certi sunt Chri-
 stiani condonari sibi peccata, signa, baptismus,
 & participatio mensæ domini, promissionibus
 αὐτογράφοις Christi sunt addita. Et norunt qui-
 dem fide sancti certissime, se esse in gratia, sibi cō-

DE CARITATE

donata esse peccata. Non enim fallit deus, qui pollicitus est se condonaturum peccata credentibus, tamen si incerti sint, an perseveraturi sint.

Hactenus dixi, oportere certos esse nos de benevolentia dei erga nos. Quid autem de operibus dei in nobis ipsis, scire ne possumus, an spiritum dei conceperimus, in pectore nostro? Respondeo deo, fructus spiritus sancti testantur nobis, quod in pectore nostro versetur. Ad Galat. v. Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt &c. Sentit autem quisque, vere ne & ab animo oderit & abominetur peccatum. Nam id est crucifigere carnem. Sentit quisque, num timeat deum, num credat deo. Emula quidem hypocrisis est spiritus dei, sed tentatio discernit, ubi soli fideles perdurant. Iam & ne potest qui sem odisse vicia hypocrisis. Qualis qualis autem videre tibi vide omnium primum, ut credas. Vult enim gloriam veritatis sibi deus tribui. Conferamus autem totam hanc disputationem de lege, Evangelio ac fide, in aliquot capita.

- I Lex doctrina est, quæ facienda, & omittenda præscribit.
- II Evangelium est promissio gratiæ dei.
- III Lex impossibilia exigit, Amorem dei, ac proximi, ad Roma. viij.
- III Qui legem per vires naturæ seu liberi arbitrij exprimere conant, externa tantum opera simulant, adfectus quos exigit lex non exprimunt.
- V Legi igitur non satisfaciunt, sed sunt hypocritæ, sepulchra extrinsecus dealbata, ut Christus vocat. Et ad Galat. iij. Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.
- VI Ergo non est legis opus, iustificare.

Sed legis proprium opus est, ostendere peccatum, adeoque confundere conscientiam. Ad Roma. iij. Per legem cognitio peccati. VII

Conscientiæ agnoscenti peccatum, & confusæ per legem, Euangelium ostendit Christum. VIII

Sic Iohannes cum poenitentiam prædicat, simul ostendit Christum. Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Iohan. i. IX

Fides qua creditur Euangelio ostendenti Christum, qua Christus accipitur pro eo qui placarit patrem, per quem gratia donetur, est iustitia nostra. Iohan. i. Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri. X

Siquidem ea sola fides iustificat, meritorum nostrorum, operum nostrorum, nullus plane respectus est, sed solorum meritorum Christi. XI

Ea fides pacificat cor & exhilarat. Ad Ro. v. Iustificari per fidem pacem habemus. XII

Facitque ut pro tanto beneficio, pro condonato peccato propter Christum, redametur deus. Adeoque amor dei fructus fidei est. XIII

Eadem fides facit, ut pudeat offendisse tam benignum, tam liberalem patrem. XIII

Adeoque facit, ut abominemur carnem nostram cum concupiscencijs suis. XV

Humana ratio, nec timet deum, nec credit ei, sed est prorsus ignorans dei, & contemptrix, iuxta psal. Dixit insipiens in corde suo non est deus. Et Luca. xvi. Si Moïsem & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Vbi significat Christus, cor humanum non credere verbo dei. Hanc humani cordis amentiam Solomon in toto Ecclesiaste insectatus est, ut cap. viij. XVI

- Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore villo filij hominum perpetrant mala.
- XVII** Quia cor humanum prorsus est ignorans dei, ideo ad sua consilia, & ad suas cupiditates deflectit, & sese sibi pro deo erigit.
- XVIII** Quom cor humanum deus per legem sensu peccati confundit, nouum nouit deum, nempe bonitatem eius non cognoscit, ideo odit velut carnificem.
- XIX** Quom cor humanum deus per Euangelium ostenso Christo erigit & consolatur, tum demum id cognoscit deum, nam & potentiam, & bonitatem eius cognoscit. Hoc est quod Hieremias dixit, In hoc gloriatur, quod nouit me.
- XX** Qui Euangelio crediderit, adeoque bonitatem dei cognorit, eius cor iam erigitur, ut & fidat deo & timeat deum, adeoque ut humani cordis consilia abominetur.
- XXI** Aptissime ergo dixit in Actis Petrus, Fide purificari corda.
- XXII** Misericordia ostenditur promissionibus.
- XXIII** Alias corporalia, alias spiritualia promittuntur.
- XXIII** In lege res corporales, ut terra Cananea, regnum &c. promissae sunt.
- XV** Euangelium est promissio gratiae, seu condonatio peccatorum per Christum.
- XVI** Promissiones corporales omnes pendent ex promissione Christi.
- XXVII** Nam prima promissio, fuit gratiae seu Christi promissio. Gen. iij. Semen eius, conteret caput tuum, id est, semen Heuæ conteret regnum serpentis insidiantis calcaneo nostro, id est peccatum & mortem.

Ea in promissione Abrahæ facta innouata est. XXVIII
In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Proinde cum nasci ex Abrahami posteritate XXIX
Christum oportuerit, promissiones quæ legi ad-
ditæ sunt, de possessione terræ &c. promissiones
obscuræ venturi Christi sunt. Nam corporalia il-
la ideo populo promissa sunt, ne interiret, dū pro-
missum semen nasceretur. & vt interim corpora-
libus rebus indicaret deus misericordiam suam,
& populi fidem exerceret.

Christo nato, promissiones vna cum populo XXX
consumatæ sunt, & remissio peccati palam facta
est, propter quã oportuit Christum nasci.

Promissiones veteris testamenti indicia sunt XXXI
venturi Christi, adeoq; promissionis gratiæ olim
vulgandæ. Euangelium ipsa gratiæ promissio est
iam palam facta.

Sicut non nouit deum, qui esse tantum nouit, XXXII
nisi & potentiam eius norit & misericordiam.
Ita nec credit, qui esse deum tantum credit, nisi &
potentiæ credat & misericordiæ.

Credit igitur vere, qui præter minas, etiam XXXIII
Euangelio credit, qui vultū in misericordiã dei
seu Christū pignus misericordiæ diuinæ defigit.

Hactenus de fide, de caritate paulo post quæ-
dam adijciemus, vbi absoluerimus hanc de discri-
mine legis & Euangelij partem.

DE DISCRIMINE NO- ui & veteris testamenti.

CONFVSIVS paulo videtur hic locus
tractatus esse superiore cōmentario. Qua-
re hic retexendum duxi, vt digereretur.

DE DISCRIMINE

Vetus testamentum lex est, vt simplicissime & pinguiſſime loquamur. Sic Moſes adpellat Exodi. xxiiij. cum velut pacificitur Iſrael cum deo, facturum ſe, quidquid legerat Moſes, Eiuſq; pacti σφραγις eſt, ſanguis quo conſpergitur Iſrael.

Adpellat item legem, testamentum, fœdus, aut pactum, Hier. xxxi. vt multa huiuſmodi in pſalmis interim præteream.

Et Paulus. ij. Corinth. iij. plane legem, vetus testamentum adpellat.

Nouum testamentum, Euangelium eſt, id eſt, gratiæ adnunciatio, adeoq; & ſpiritus ſancti donatio. Sic Chriſtus vocat Matth. xxvi. Hic eſt ſanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. vbi definit nouum testamentum, inquit eſſe remiſſionem peccatorum. Et ſicut ſanguine vituli Iſrael a Moſe adſperſus eſt, cum dedicaretur testamentū vetus, & velut obſignaretur. Ita ſanguis Chriſti, ſignaculum eſt testamenti noui.

DE LEGIS ABROGATIONE.

QUOM Chriſtus nouum testamentum vocat, non dubium eſt, quin vetus illud antiquatum, & abrogatum velit. Sic enim argumentatur auctor Epistolæ ad Hebræos, ex Hieremiæ verbis, quæ paulo ante citauimus, dicendo, nouum antiquauit prius, cap. viij. Et vel ex hiſ adparet, quantum interſit, inter Moſen & Chriſtum, inter legem & Euangelium. Moſes veteris testamenti, hoc eſt, legis miniſter erat. Chriſtus noui testamenti, nō legis quidē, nā ea iā antea promulgata erat, miniſterio Moſi, ſed

NOVI ET VET. TES. PO. LXXIII

remissionis peccatorū. Proinde, non est Euangelium, ut scholastici senserunt, id quod lex, sed plane remissio peccatorū, & ipsissima absolutio, ut vocat.

Supra legem in tres partes distinximus, In formas morum, ceremoniarum & iudiciorum. Quas omnes necesse est abrogatas esse, si vetus testamentū antiquatū est. Quæras igit, num occidere, mœchari liceat. Siquidem lex, in solidū abrogata est nouo testamento. Sic & apud Paulum quærit, Si non sumus sub lege, ergo peccabimus?

Respondeo, Hic abrogandæ legis causa, & quo mutata lex sit, spectandum est. Primū causam legis abrogandæ necessariam exponit Hier. xxxi. vbi ideo dominus nouū testamentum promittit, quia vetus illud non præstiterimus, & fecerimus irritum. Eundem allegat in Actis abrogandarum ceremoniarum causam Petrus, cum ait, Nec nos, nec patres nostri portare potuimus, quæ sententia ad vniuersam legem pertinet, nam ceremonias nullum fuit negocium ferre, legem moralem, ut vocant, nemo expressit. Quis. n. omnium vel sanctorum concupiscentia vacauit? Et auctor Epistolæ ad Hebræos, mandatū infirmū & inutile, legē esse dicit, & propterea, nouo testamento mutandū fuisse. Fuit ergo hæc legis abrogandæ causa, quia præstari seu fieri non potuit. Quæ causa cū ad legē moralem potius, quā vel ad iudiciorū formas, vel ad ceremonias pertineat, necesse est fateamur decalogum quoque abrogatū esse. Sophistæ nostri iudicialia, & ceremonias dicunt abrogatas esse. Legē de moribus a Christo etiā nouis legibus auctam esse. Adeo ex Christo bis Mosen faciunt.

DE ABROGATIONE

Habes causam abrogandæ legis. Nunc quo mutata sit, considerandum est.

Nouum testamentum est remissio peccatorum, & donatio spiritus sancti. Proinde legem esse inductam seu abrogatam, nihil est nisi peccata condonari, & spiritum sanctum effundi in corda eorum, quibus peccata condonauit deus. Quod legem abolet, facit, ne vel meritis nostris (vt loquitur) saluemur, vel propter peccata nostra pereamus. Non ergo lex abolita est, ne fiat, sed ne damnet, vbi violata est, at eam nemo non violat. Itaque non lex sed maledictio legis sublata est. Vides hoc loco amplissimam gratiæ commendationem contineri, cum legem audis ideo abrogari, vt prorsum gratis, sine vlllo nostro merito seruemur.

Deinde, quibus peccata remittuntur, remittuntur autem credentibus tantum, donatur & spiritus sanctus, qui illorum corda accendat, vt vltro legem, & ex corde faciant. Voluntas dei, lex est, sed mortua, descripta enim est in saxo. Viua dei voluntas, spiritus sanctus est. Proinde quorum corda spiritum sanctum conceperunt, ij, quod lex præcipit, iam etiam si non cogat lex, faciunt.

Ergo lex non est abrogata, nisi populo noui testamenti, hoc est, nouo homini. id est, vere fidei. Nam hi credunt peccata sibi remissa esse, credunt & peccatum in carne reliquum condonari, & conceperunt spiritum sanctum, mortificant reliquias peccati in carne, & renouant corda. Hi norunt, metuunt, amant deum, amant & proximum. Breuiter, quia voluntas eorum, spiritus sancti voluntas est, non possunt non id velle, quod vult

vult spiritus sanctus. Nam vnus spiritus, cū deo sumus. Non possunt igitur, non præstare legē sancti. Nam eo natura spiritus sancti trahit, occidere scortari, furari, mentiri non potest spiritus sanctus, ergo nec is, qui vnus cum eo spiritus est.

Ita vides primum a lege neminem esse liberū, nisi eum, qui in Christo est, nam ille est noui testamenti mediator. deinde, necessario fieri legem moralem, quia id cogat natura spiritus, qui in cordibus Christianorum regnat. Hæc Paulus Roma. viij.

Dices autem, cur igitur non & ceremonias faciunt sancti? Respondeo, Eam legis partem necessario a sanctis fieri, cuius impletionem ipse secum spiritus sanctus adfert. Adfert autem earum legum impletionem, quæ de adfectibus cordium præcipiunt, hoc est, cognitionem, metum, dilectionē dei, fidem, spem &c. amorē itē proximi.

Ceremoniæ & iudicialia, præter cordis iusticiam externæ obseruationes sunt, circumscriptæ locis, temporibus, personis, quas obseruationes quia non adfert secum spiritus sanctus, ideo possunt a sanctis omitti. Non potest esse in corde humano spiritus sanctus, quin fiat lex moralis. Esse potest in corde humano spiritus sanctus, etiā sine externis illis obseruationibus, quare non exigunt necessario.

Ex his facile est colligere, in quo posita sit Christiana libertas. Primum. n. in eo est, q̄ damnare lex non possit, quanquā habentes peccatū, modo credamus legis maledictionem a Christo sublatam esse. Fides autem vt pacis, vt libertatis auctor est, nec aliud re ipsa libertas, quam pax est,

DE ABROGATIONE

cuius in quinto capite ad Rom. meminit Apostolus. Iustificati ex fide pacem habemus. Huc pertinent ea quæ de libertate sunt apud Iohan. cap. viij. Si vos filius liberauerit, vere liberi estis.

II Postea vero quam cor hoc libertatis genere, hoc est. remissione peccatorum pacatum est, quia spiritus in tale cor effunditur, iam lex dei fit, cognoscitur deus, fiditur deo, timetur deus ac diligitur. Diligitur & proximus, mortificatur concupiscentia, sanctificantur corpora. Et in hunc modum de libertate loquitur Paulus. ij. Corint. ij. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Priusquã enim cor renouatum fuerit a spiritu sancto, plane neq; timetur deus, neq; fiditur deo. Simulari lex potest, fieri nõ potest, nisi spiritus sanctus cor inflammauerit.

III Quia nouo testamento non lex, sed spiritus sanctus datur. Iam & Euangeliũ tantum est ministerium spiritus, & nihil prædicat, nisi remissionem peccatorum, ideo liberi sumus ab omnibus externis obseruationibus, & ceremonijs, quæ has nõ adferat secũ natura spiritus dei. Adeoq; Christiana iustitia plane cordis iustitia est, non externarũ obseruationũ, vt in Euangelio Christus ait, Regnũ dei intra vos est. Et Paulus Ro. xiiij. Nõ est regnũ dei, esca aut potus, sed iusticia, pax, & gaudiũ in spiritu sancto. Atq; hæc causa est, cur a Christianis nec ceremoniæ, nec formæ iudiciorum exigantur. Cæterũ penes nos est, vti vel non vti Mosaicis obseruationibus.

Quid senserit de ceremoniarũ abrogatione Hieronymus, etiam constrinæ norunt, sed in ea disputatione quos secutus sit, ipse viderit. Scriptura certe liberas facit omnes huiusmodi obseruatio-

nes, vt inter Iudæos, iudaicos ritus, inter gentes, gentiles seruare possis. Notus locus est in priore Epistola ad Corinthios. Errat, qui exigit circuncisionem, tanquã necessariam. Errat item qui vetat circuncisionem, tanquã impiam. Errat qui sic vetat simulachra haberi, tanquã per sese impium sit. Errat itē qui sic tuetur simulachra, tanquã impium sit tolli. Errat qui putat impiũ edere suillam carnem. Errat item, qui putat impium, abstinere a suilla. Media sunt hæc, & in arbitrio nostro posita. Sic & de Eucharistia iudico, non peccare, qui scientes huius libertatis, & credentes, alterutra signi parte vtant. Dominus est. n. filius hominis, etiã sabbati. Quæ de ceremonijs diximus, eadē de formis iudiciorũ sentim⁹. Christianũ vti posse vel iudaicis legibus, vel gētilibus. Obsecro. n. qd aliud sunt iudiciorũ formæ, quã rerũ externarũ civilis & externa dispositio, quæ nõ magis ad spiritũ pertinet quã sutoria, aut ratio colēdi agrĩ, coquendi &c. Cõtendere iudicio Christianis nõ licet, sed ea non est legis abrogandæ causã. Nã, vt maxime peccent, qui litigant, nõ peccat tamē qui gladium administrat, iudex aut Iurisconsultus. Opus habemus iudicij, et legibus aduersus vim, vt Apostolus ait, Dei minister est, vindex in irã dei qui male agit, Ro. xiij. Potest itaq; Christianus iudex vti vel Mosaicis, vel gentilib. legibus in iudicãdo. Nam in Actis Apostolicis vetat spiritus sanctus legē imponi gētibus. & Paulus gladium gentiũ probat. Porro gladij potissima pars, leges gentiũ sunt. Et gladio gentiũ vsi sunt, Nahan Syrus, Nabugdonosor. Et haud scio an gesserint etiam Daniel & alij Israelitæ inter Assyrios.

De altera
specie sacra-
menti.

DE ABROGATIONE

Certe gentium gladium gessit praesidium Romanum Iudaeae impositum, & probavit Iohan. Iudaeae. iij. gessere & Cornelius Actorum. x. & Sergius PROCOS. Actorum. xij. Haec ideo recensui, ut intelligas, iustitiae spiritus nihil referre, huiusmodi externam rerum dispositionem, *ἢ δικονομίαν.*

Quatenus liberi simus, diximus, Quatenus autem libertate utendum sit, docet Paulus cum alias tum in Corinthiis, ut prestemus, ne cum scandalo fratris utamur libertate nostra. Et in Galatis, Ne demus libertatem in occasionem carni. At nunc quidam nulla re alia Christiani videri volunt, quam contemptu ceremoniarum, omnis civilitatis, quae tamen creaturae dei bonae sunt. Neque alij Euangelio tantum conciliant odium, quantum hi, qui pro sua libidine hac libertate abutuntur, ut plane videri possint hi esse, qui in castra Israelitica caecent, contra quam lex divina constituit, Deuter. xxiij. At Paulus ita iussit vivere Christianos, ne demus occasionem ulli blasphemandi boni nostri. Sed de scandalo infra dicemus.

III Quatenus sit antiquata lex opinor, ex his cognosci posse, aliqua ex parte, quae diximus. Certius. n. usu scripturae docebit spiritus. Neque potest nisi a spiritualibus intelligi haec libertas.

Dices autem, si liberi sunt qui spiritum Christi habent, igitur & David & Moses liberi erant? maxime. Nam hoc est quod ait Petrus, Neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Hoc est, agnorunt patres

omnia sua opera peccata esse, agnorunt se nō mereri salutem operibus suis vllis, sed misericordia dei egere. Itaq; crediderunt, suntq; misericordiae fiducia seruati, & concepto spiritu dei, senserunt se liberos esse a legis maledictione, adeoq; ab omni onere vel exactiōe legis. Sed q̄ ceremonias non omittebant, in causa est, q̄ nondum libertas reuelata erat, nondum Euangeliū libertatis euulgatum erat. Quare legem tulere nihil grauatim, cum se fide iustificari sentirent. Vides etiam non nunquā libertatis priuilegio recte vsos esse. vt. i. Regū. xxi. Dauid panes propositionis edit, quos edere fas non erat, nisi sacerdoti. Et Dauid egregie de libertate præfatus inquit, Viam quidē pollutam esse. sed sanctificari in vasis, hoc est, mundos esse se, q̄ fideles essent, & sanctificari omnia, victum, operas &c. fide sanctorum. Non aliter atq; Paulus ait, Omnia munda mundis esse, conquinatis nihil mundum.

Summa, Liberi sumus per fidem ab vniuersa lege, sed eadem fides, ille spiritus Christi, quam concepimus, reliquias peccati in carne mortificat. Non q̄ exigat lex, sed q̄ illa ipsa sit spiritus natura, vt non possit non mortificare carnem. Hoc est quod ait Paulus, Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, id est, qui credunt, quia iam a legis maledictōe redempti sunt, salui sunt. Sed illi ijdem non secundum carnem ambulant, hoc est, quia in eis regnat spiritus, ideo carnis reliquiae crucifiguntur, & leges præscribuntur fidelibus per quas spiritus mortificet carnem. Nondū enim consumata in nobis libertas est, sed vindicatur dum & augetur spiritus, & necatur caro.

DE VETERI AC NOVO
Estq; decalogi vsus in mortificanda carne. Cere-
monialium legum aut iudicialium non item. Ita
fit, vt decalogo opus sit fidelibus, reliquis legi-
bus non item. Sed ceremonias, & externas ob-
seruationes pro arbitrio concipit spiritus.

DE VETERI AC
nouo homine.

DIXI libertatem nondum consumatam
esse, q̄ & sanctificatio nondum in nobis
consumata sit. Coepimus enim spiritu des-
sanctificari, sanctificamurq; dum caro illa pror-
sus enecetur. Ita fit, vt duplex sit sanctorum natu-
ra, spiritus & caro. Nouus homo & verus, Inte-
rior homo & exterior. Caro, non corpus tantum
designat, vt supra disputatum est, sed totum pla-
ne hominem ψυχικόν vt vocat Paulus, hoc est,
eum qui naturalibus adfectibus & motibus ob-
noxius est. Idem quod caro, significant homo ve-
tus, item homo exterior. Estq; caro, quidquid est
humanorū adfectuum secundum naturam. Non
modo esurire & sitire, sed & amare opes, gloriam
& huiusmodi alia. Planeq; caro sunt virtutes phi-
losophicæ, & conatus liberi arbitrii qualescunq;. Rursum spiritus est, cū ipse spiritus sanctus, tum
eius in nobis agitatio. Nouus homo, interior ho-
mo, spiritus sunt, q̄ a spiritu sancto regenerati
sint. Iohan. iij. Quod natum est ex spiritu, spiritus
est. Sancti ergo sumus, quatenus spiritus sumus,
quatenus nouati sumus. In carne, in veteri homi-
ne, in exteriore homine adhuc peccatum est. Sic
Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum,
spiritus aduersus carnem. Sophistæ Parisienses
negant peccatum esse, concupiscentiā quæ in car-

ne sanctorum est, sed infirmitatem. Hos satis copiose Lutherus in Antilatomo confutauit. Et quid est clarius, quam peccatum esse, quidquid aduersatur legi dei. Caro aduersus legem dei concupiscit. Quid est igitur cur peccatum concupiscentiam non vocent? an non sua quaerunt etiam sancti, an non in sanctis amor est, vitae, gloriae, securitatis, tranquillitatis, rerum? quae quod peccatum non vocarunt Parisienses, hoc in causa est, quod adfectuum rationem non habuerunt, sed externis factionibus peccari putauerunt. Radicem operum non vident, Ita fit, vt de fructibus inepte iudicent. Quod tam bonum opus est, quo non suum aliquid natura quaerit? vt *νενοδοξίας* amorem posueris, certe nondum poenarum metum posuisti. Polluit ergo quantumuis bona opera caro. Iam si praeterea nihil pecces, nonne foedissime & atrocissime delinquimus torpore seu ignauia spiritus. Flagrare amore dei, fiducia, pauere metu dei oportuit, quae primo praeepto exiguntur. Quae quis praestit? Fateamur igitur quod res est, esse in carne nostra peccatum, Estque haec misericordiae dei gloria, quod credentibus peccatum condonat. Nec aliud est abrogatio legis quam legi ad eum modum ius esse ademptum per Christum, damnandi peccatores. Sunt qui tres hominis partes fecerunt, spiritum, animam, corpus. Quod non damno, modo permittant mihi quod res est, spiritum proprie non naturae partem esse, sed agitationem diuinam. Corpus & animam, hoc est, naturam sine spiritu, non posse non peccare, nec a peccato morales virtutes excusent.

DE PECCATO MOR,

Paulus Apostolus ad Philippenses, omnes iusticias suas pro damnis & stercoreibus habet, quas præeunte lege naturæ conatus expresserat. Quid est igitur cur naturæ opera uicq; adeo in iniuriam Euangelij, blasphemi Sophistæ iactent? Nec em̄ amplitudinem gratiæ quidquā adeo obscurat, ut impia illa moralium operum doctrina. Gaudet Paulus reperiri in Christo non habens suam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ iusticia ex deo est, ex lege etiam meritum ponunt Sophistæ in iusticia.

DE PECCATO MOR, tali & quottidiano.

SUPRA de peccato dictum est, ubi consulto omisimus peccati formas tractare, mortale, ut loquuntur, & veniale. Est enim mortale peccatum, omne opus hominis, qui non est in Christo, quia malæ arboris, nempe carnis, malus fructus est. Adfectus autem carnis mors est. ad Roma. viij. Item, adfectus carnis inimicitia est aduersus deum. Item, qui in carne sunt deo placere non possunt. Quibus locis necesse est, ut carnem interpreteris de tota hominis natura, adeoque de præstantissimis naturæ viribus. ut supra docuimus.

Immo non alia pars hominis magis caro est, quã suprema vis, ratio, q; in illa proprie sit ignorantia & contemptus dei, incredulitas, & hoc genus fonticæ pestes, quarum fructus & opera sunt, omnes functiones humanæ. Contra venialia peccata sunt, omnia sanctorum opera, nempe, quæ per misericordiam dei, credentibus condonentur. Nonnunquã sanctis eripit deus spiritum, ita ut

TALI ET QVOT. FO.LXXIX.

in manifesta vicia prolabantur, quæ vocent sane, me nihil refragante peccata mortalia, modo sciât me mortalia ad eū modum adpellare quidquid fit ab ijs qui spiritu dei carent. Quondam fere crimina vocabant, quæ Sophistæ nunc vocant peccata mortalia, facinora palam mala. Et quotidiana peccata quæ isti venialia.

De lege ac Euangelio, de veteri ac nouo testamento, hæc quæ dixi puto requiri potissimum. quæ ipse video a me tenuius, quā pro rei dignitate tractata esse, sed nolo Rabi vocari. Abunde suppeditabit scripturæ vsus, quod nos præterimus. Satis esse putavi indicare, quid potissimū in scriptura requireres. Requires autem legem ac Euangelium. Lex peccatum ostendit, ac conscientiam pauefacit. Euangelio peccatum condonatur, & exhibetur spiritus qui ad faciendam legem cotinflat. Si testamenti nomen propius consideres, vetus testamentum, *ἡ παλαιά* noui testamenti non testamentum fuerit, vt in quo non decesserit testator. Nouo testamento decessit testator. Vetere pro testatore typi gratia pecudes cædebantur, quæ testaturis mortem significabant. Sed hæc argutiora sunt, quā quæ huius cōmentarij ratio admittat. Solet hic de litera & spiritu disputari, de quibus malo vel Augustinum, vel Lutherum quā me consuli. Quamquam supra etiam in legis ratione attigerim.

DESIGNIS.

EVANGELIVM promissionem esse gratiæ diximus. Porro pmissionibus proximus signorum locus est. Adduntur. n. in scripturis ceu sigilli vice, signa pmissionibus, quæ

K v

DE SIGNIS.

cum admoneant promissionum tum certa testi-
 monia diuinæ voluntatis sint erga nos, testan-
 turq; certo accepturos, quod pollicitus est deus.
 In usu signorum foedissime erratur. Nam scholæ
 cum disputant quid intersit inter sacramenta ve-
 teris ac noui testamenti. In sacramentis veteris te-
 stamenti negant vim fuisse iustificandi. Noui sa-
 cramentis tribuunt vim iustificandi, manifesto
 nimirum errore. Sola enim fides iustificat. Proin-
 de quæ signorū natura sit facillime ex Pauli Ro-
 manis potest intelligi, vbi de circumcisione in ca-
 pite quarto disserit ad hunc modum. Abrahamū
 non esse iustificatum ex circumcisione, sed ante
 circumcisionem, & citra circumcisionis meritum,
 accepisse vero postea circumcisionem *σφραγίδα*
δικαιοσύνης. hoc est, sigillum, quo testaret deus
 Abrahamum esse iustum, & quo innotesceret
 Abrahamo, se coram deo iustum esse, ne in inci-
 piti fluctuans conscientia desperaret. Quē vsum
 si intelligas, quid potest signis lætius contingere.
 Parum est q̄ admonent signa promissionum di-
 uinarum. Hoc vero magnum est, q̄ certum testi-
 monium diuinæ voluntatis erga te sunt. Sic cir-
 cumcisionem signum vocat Moses Genesis. xvii.
 vt sit vobis in signum foederis inter me & vos.
 Quod signū circumcisio est, admonet promissio-
 nis diuinæ Abrahamum, & omnes circumcisos.
 Quod foederis signum est circumcisio, hoc est, q̄
 significat ratum fore hoc foedus, confirmat con-
 scientiam Abrahamæ vt nihil dubitet, quin eueniat,
 quod promissum est, quin prestat deus quod pol-
 licitus est. At quid erat pollicitus Abrahamæ deus?

DE SIGNIS. FOLXXX.

nonne, se futurum Abrahamæ deum, hoc est, complecti se Abrahamum, iustificare, & seruare &c. Hæc ita certa esse nihil dubitabat Abraham, circumcissione, velut sigillo confirmatus.

Percurre si libet vniuersam scripturam, & signorum rationem ex historijs sacris pete, non ab impijs Sophistis. Ezechiaë dominus vitâ Esaiæ oraculo prorogat. Eam promissionem, vt ratam fore certo sciret rex, confirmat deus adiecto signo, vt decem gradibus horologi vmbra reuocaret. Gedeon ne quid dubitaret futurum, vt suo ductu vindicaretur Israel in libertatem, duobus signis confirmatus est. Achazum Esaias increpat contemnentem signum diuinæ voluntatis erga se. Nam nec promissioni credebat. Et quid attinet multa quærere, cum scriptura sit huiusmodi exemplorum plena. Ex quibus qui sit signorū vsus credo disci posse. Non iustificant signa, vt Apostolus ait, Circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est. Participatio mensæ domini nihil est, sed testes sunt *ὡς σφραγίδες* diuinæ voluntatis erga te. Quibus conscientia tua certa reddatur, si de gratia, de benevolentia dei, erga se dubitet. Quā dubitare nō potuit Ezechias, quin reualesceret, cum & promissionem audisset, & signo vidisset confirmatā promissionem. Quā nō potuit dubitare Gedeon, quin victurus esset, cū tot signis cōfirmatus esset, tam dubitare tu nō debes, quin misericordiā cōsecutus sis, vbi Euāgelium audieris, & Euangelij *σφραγίδας* acceperis baptismū, & corpus dñi ac sanguinē. Vel sine signo restitui Ezechias potuit, si nudæ pmissioni credere voluisset,

DE SIGNIS.

Vel sine signo Gedeon victurus erat, si credidisset. Ita sine signo iustificari potes, modo credas. Adeo non iustificant signa, sed erat Ezechiaë, item Gedeonis fides huiusmodi signis subleuanda, erigenda & confirmanda, ita nostra imbecillitas signis erigitur, ne de misericordia dei, inter tot insultus peccati desperet. Non aliter atq; pro signo fauoris diuini haberes, si ipse tecum coram colloqueretur, si peculiare aliquod pignus misericordiæ, qualecunq; miraculum, tibi exhiberet, decet de his te signis sentire, vt tam certo credas tui miserum esse deum, cum baptismum accipis, cū participas mensæ domini, quā crediturus tibi videris, si ipse tecū colloqueretur deus, aut aliud quiddam ederet miraculi, quod ad te peculiariter pertineret. Fidei excitandæ gratia signa sunt proposita. Nunc & fidem & signorum vsum extinxerunt, qui ea in questu habent. Saluberrima est signorum cognitio, & haud scio an aliud conscientiam consoletur, & confirmet efficacius atq; hic signorum vsum.

Quæ alij sacramenta, nos signa adpellamus, aut si ita libet, signa sacramentalia. Nam sacramentum ipsum Christum Paulus vocat. Quod si signi nomē displicet *σημαγιδας* adpelles, quo propius vis sacramentorum signetur. Probabilis & illi voluntatis, qui symbolis seu tessellis militaribus hæc signa comparauerunt, q̄ essent notæ tantum, quibus cognosceretur, ad quos pertinerent promissiones diuinæ. vt Cornelius baptizatus est, cum iam iustificatus esset, vt in eorum numero referretur, ad quos promissio regni dei, & vitæ perpetuæ pertinebat. Hæc de signorum na-

tura ideo monui, vt qui sit vsus pius sacramentorum, possit intelligi. ne quis scholasticos sequatur, qui iustificationem horrendo errore signis tribuerunt.

Duo sunt autem signa a Christo in Euangelio instituta, baptismus, & participatio mensæ domini. Nos enim signa sacramentalia ea esse iudicamus, quæ gratiæ dei signa diuinitus tradita sunt. Nam diuinæ uoluntatis signum erga nos, nec instituere homines possumus, nec ad uoluntatem diuinā significandam, ea signa referre, quæ alio scriptura retulit. Quo magis miramur quid uenerit in mentem Sophistis, præsertim cum signis iustificationem tribuerent, inter sacramenta referre, ea quorum ne uerbo quidem scriptura meminisset. Nam vnde confictus ordo est? Et nuptias nō in hoc instituit deus, vt essent propriū gratiæ signū. Vnctio rit⁹ magis uetus est, quā gratiæ signum. Copiose disputauit hac de re Lutherus in Babylonica captiuitate, vnde requireres exactiorē disputationem. Porro hæc summa rei est, gratiā non significari certo ac proprie, nisi ijs signis, quæ diuinitus prodita sunt. Atq; ita vocari non posse sacramentalia signa nisi ea quæ diuinis promissionibus addita sunt. Hinc dictum est a veteribus rebus & uerbis constare sacramenta. Res, signum est, uerba promissio gratiæ.

DE BAPTISMO.

SOPHISTÆ materiam & formam, sic enim loquuntur, sacramentorum prolixè & superstitiose tractarunt, vsus rei nullum indicantes. Signum est immergi in aquam. Minister is qui demergit, significat dei opus, adeoq; &

DE BAPTISMO.

signum diuinæ voluntatis esse demersionem illam, cum inquit, Baptizare se nomine patris, filij & spiritus sancti. aut, vt Apostoli baptizabāt in Actis, nomine Christi. Quibus verbis plane hoc significatur. Ecce, quod demergeris, id ita accipias pro certo fauoris erga te diuini testimonio, atq; si ille ipse baptizet. Pro diuini fauoris testimonio habebat Ezechias, q̄ mirando euentu reuocarat v̄nram deus. Populus Israel pro diuini fauoris testimonio habebat, quod v̄ndæ in sinu Arabico viam sibi aperuissent. Sic tu pro certo gratiæ diuinæ pignore habeto hanc demersionē. Nam quod dicitur, In nomine patris & filij & spiritus sancti, notat vicem, q̄ pater, filius, spiritus sanctus baptizent, & interpretet̄ is qui baptizatur, remitti sibi peccata ab ipso patre, filio & spiritu sancto. Significari baptismo, nā hinc vsus eius cognoscetur, constat transitum per mortem ad vitam. Estq; demersio veteris Adæ in mortem, & exuscitatio noui. Id est cur Paulus vocet lauachrum regenerationis. Intelletur hæc significatio ex typo facillime. Adumbratus est baptismus transitu Israelitarum per sinū Arabicum. Quid aliud illi quā mortem ingrediebantur cum aquis se cōmitterent? Transibant fide per aquas, per mortem, dum euaderent. In ea historia gesta res est, quā baptismus significat. nempe per mortem ad vitam transierunt Israelitæ. Sic tota vita Christiana est mortificatio carnis, & renouatio spiritus. & res quā significat baptismus geritur tantisper dum prorsus a mortuis resurgamus. Vera pœnitentia est proprie quam significat bap

DE BAPTISMO. FO. LXXXII

tismus. Adeoq; sacramentum pœnitentiæ baptis-
mus est, vt postea dicemus.

Vsus vero signi hic est testari, qd per mortem
transeas ad vitam. Testari, qd mortificatio carnis
tuæ salutaris sit. Terrent peccata, terret mors, ter-
rent alia mundi mala. confide, quia σφραγίδα
accepisti misericordiæ erga te. futurum vt salue-
ris, quomodocunq; oppugneris a portis infero-
rum. Sic vides & significatum baptismi, & signi
vsus durare in sanctis per omnem vitam. Imo
hoc ausim dicere, non aliam efficaciorē consola-
tionem exhiberi posse morituris, quā signi huius
mentionē, si admoneatur baptismi se σφραγίδα
promissionis diuinæ in hoc accepisse, vt certo sci-
rent futurum, vt deus se per mortem in vitam re-
duceret. Eo signo nil opus fuisse, si sine diuina ope
transiri potuisset. Nunc ideo signū oblatum esse,
vt ne diffiderent, quin deducēte deo euasuri
essent. Nōne si Moses baptizasset Israelitas prius
quā viam in aquis ingrederentur, debuisset inte-
rim, dum medium mare penetrant, admonere
accepti signi de rei euentu, præcipereq; vt memi-
nissent in hoc proditum fuisse signum, ne quid du-
bitarent se seruatum iri. Idem baptismi vsus est
in mortificatione, Monet conscientiam conteri-
tam remissionis peccatorum & certam reddit de
gratia dei. adeoq; efficit vt ne desperemus in mor-
tificatione. Proinde quantisper mortificatio du-
rat, tantisper signi vsus est. Non absoluitur au-
tem mortificatio, dum vetus Adam prorsus ex-
tinctus fuerit. quare fit, vt interim, ac perpetuo
per omnē vitam signi vsus sit, qd in assidua illa

DE BAPTISMO.

mortificatione conscientiam cōsoletur. Atq; hinc
 adparet quā nihil signa sint nisi fidei exercendæ
 μνημόσωνα. Sic baptismum tractat Paulus ad
 ad Roma. vi. Qui in Christum baptizati sunt, in
 mortem eius baptizati sunt. hoc est, & vt morti-
 ficent, sicut Christus mortificatus est, & vt sciāt
 monente baptismo eam mortificationē esse tran-
 situm ad vitam. Nam quod adicit Paulus, conse-
 pulti sumus per baptismum, docet, non tantum
 mortificari sanctos, sed & in mortificatione qui-
 escere, & agere sabbatum sepulturæ Christi. Im-
 pij mortificantur quidem, sed quia non credunt
 per Christum eum esse transitum ad vitam, de-
 sperant & prorsus pereunt. Pij mortificantur, sed
 ita vt sabbatum agant sepulturæ Christi, hoc est,
 credant eum esse transitū ad vitam, expectentq;
 consolationem per Christum. Eius consolationis
 interim pignus καὶ μνημόσυνον baptismus est,
 vt Paulus inquit, Per baptismum consepulti su-
 mus. Fides facit vt sabbatizemus, quiescamus, ex-
 pectemus consolationem. Baptismus fidem exci-
 tat, nempe signum diuinæ gratiæ. Hic baptismi
 usus quā locuples adflictæ conscientiæ consola-
 tio sit, nemo optior facile verbis consequi queat.

De institutione baptismi laboratur ac discrimi-
 mine baptismorum Iohannis & Christi. Qua de
 re qui rectissime senserunt, ita iudicarunt. Iohan-
 nis baptismum simpliciter esse signum mortifica-
 tionis, Christi baptismum esse signum viuifica-
 tionis, q̄ ei addita sit gratiæ promissio, seu condo-
 natio peccatorum. Ideoq; Iohānis lauachrum vo-
 cari baptismum poenitentiae, Christi baptismū,
 baptismum

DE BAPTISMO. FO. LXXXIII

baptismum in remissionem peccatorum. Quod Iohannes legem prædicans, præparet ad Christum conscientias agnoscentes peccati. Christus eos uiuificet, quorum conscientia lege & prædicatione Iohannis conterritæ sint. Est enim iustificationis principium peccati cognitio, & iudicij diuini metus. Consumatio fides, & pax conscientia, quæ cordi spiritus sanctus inserit. vt de lege & Euangelio supra diximus. Mihi videntur duo illa laua- chra simplicius discerni posse. Si Iohannis baptis- mum pro signo gratia per Christum paulo post prædicandæ. Christi baptismum, pro signo iam donatæ gratia accipias, vt eiusdem rei signum vterq; baptismus sit, sed hoc discrimine, vt Iohā- nis baptismus ad futuræ paulo post gratia, Chri- sti baptismus iam collatæ gratia pignus sit *ἡ σφραγίς*. Ita idem significabat vterq; baptismus mortificationem & viuificationem. Nemo enim iustificatur nisi qui ante mortificatus sit. Atq; vt ita sentiam, primum hoc facit, qd Iohannis offi- cium non hoc tantum est, legem prædicare, sed vel potissimum testimonium de Christo dicere, deq; Euangelio, seu remissione peccati. Iohan. i. Hic venit in testimonium, vt testimonium per- hiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Et Matth. xi. Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne baptista. Qui autem minor est in regno cælorum maior est illo. Id est, Ante reuela- tionem Euangelij nullius officium, Iohannis offi- cio præstat, vt qui non legem modo, vt Moses & alij prophetae prædicat, sed & testatur Euan- gelium mox per Christum reuelandum esse. Porro

L

DE BAPTISMO

Iohanne Christus maior est, quanquã minimus sit. Adeoꝛꝫ & Iohannis officio, maius erit Apostolorum officium. Et quia testis est Euangelij Iohannes, per eum institutum est signum, quod postea erat Euangelij seu donatæ gratiæ pignus futurum. Deinde Luca. iij. Iohannis baptismus dicitur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et apertissime Iohan. i. Vt manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizã. Et Act. xix. Paulus ait. Iohannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. Et Matth. xij. Iohannes testatur suum baptismum esse signum futuri baptismi per spiritum sanctum, cum inquit, Ego baptizo vos in aqua, qui post me venturus est baptizabit vos spiritu sancto. Nam hoc agit, se nõ esse Christum sed testem de Christo. Sicut Iohan. iij. inquit. Non sum ego Christus. Adeoꝛꝫ idẽ baptismus vterq; significat, sed hoc discrimine, qđ adhuc prædicandæ gratiæ Iohãnis baptismus testimonium erat, Christi baptismus iam collatæ. Neq; aliter opinor baptizauerunt Christi discipuli Iohann. iij. quã Iohannes, eo qđ Christus nondum esset glorificatus. Et oportuit iterum baptizari, qui Iohannis baptismo loti erant, quo certi essent se iam consecutos esse remissionem peccatorum, quã obuenturam hætenus crediderant. Nam in hoc signa adhibentur, vt conscientiam certificent. Non iustificabant, neq; Iohannis, neq; Christi baptismus, de signis loquor, sed certificabant, Iohannis lauachrum de prædicanda adhuc gratia. Christi baptismus, testabatur iam collatam esse gratiam.

DE BAPTISMO. FO. LXXXIII

& promulgatā promissionem gratiæ. In vtroq; iustificabat fides. Sed Iohannes aqua baptizat, q̄ ipse non sit in quem credatur, qui saluet. Christus cum sit saluator, baptizat spiritu sancto & igni. Atq; ita rebaptizabant, qui loti a Iohanne erant, tametsi iusti, vt si qui fuerunt iusti Iudæi alicubi, qui Iohannis baptismo loti non erant. Certificat enim baptismus Christi de collata iam gratia. Nō enim video quid inter iustos Iudæos ante Iohannem, & eos, qui a Iohanne loti sunt, interfuerit, nam vtriq; expectarunt Christum, nisi q̄ hi propius Euangelium & remissionem peccatorum cognouerunt.

Hæc paucis attigisse satis sit, ne quē longiore tractatione a lectione scripturæ remoremur, vbi diligentius hoc genus quæstiones excutiendæ sunt.

DE PŒNITENTIA.

PŒNITENTIAM nō esse signum, nihil obscurum est. Est enim pœnitentia vetustatis nostræ mortificatio, & renouatio spiritus. Sacramentum eius, vel signum, non aliud nisi baptismus est. Atq; hic omnium rectissime vocetur sacramentum pœnitentiæ. Siquidē pœnitentia mortificatio nostri est, in vitam, seu vt renouemur. Id quod baptismo, vt ante dixi, significat. & testatur Paulus ad Roma. vi. Qui baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus &c. Et ad Titum, nuncupatur lauachrum regenerationis. Necq; aliud est vita Christiana, nisi hæc ipsa pœnitentia, hoc est, regeneratio nostri. Mortificatio fit per legē vt supra dictū est. Nā hæc conscientia terret & occidit. Viuificatio fit per Euangeliū, seu per absolutionē.

L ij

DE POENITENTIA.

Non enim aliud est Euangelium, nisi ipsa absolutio. Quod mortificationem nos vocamus, scholastici contritionem voluerunt dici, id quod ita permitto, si non de dolore per liberum arbitrium, per vires humanas simulato loquantur. Non potest enim odisse peccatum natura. Sed diuinum opus est conscientiam nostram confundere & pauefacere. Hiere. vi. Erubescere nescierunt. Et. xvij. Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in vngue Adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. Et. xxxi. Postquam ostendisti mihi percussit femur meum. Et Christus de phariseis Lucæ. xi. Nunc vos pharisæi, quod deforis est calicis & catini, mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Sed hæc supra latius, cum de collatione legis & Euangelij differemus. Non aliud enim poenitentia est, nisi iustificatio. Interim moneo, vt tanquam pestem caueas scholastica figmenta de attritionibus & de dolore per liberum arbitrium simulato. Facile autem iudicabit cor tuum vere doleas, an simules dolere. Sed nec dolore tuo fidas, quasi ideo condonetur peccatum quod doleat, sed potius vt postea dicam, absolute & verbo dei.

Fortassis autem permittes poenitentia, hoc est mortificationis & viuificationis signum baptismum esse, si perseueres. Quod autem lapsis signum est, quod recipi eos in gratiam testetur? Nam ad lapsos tantum retulerunt poenitentia vocabulum & sacramentum. Respondeo, Sicut Euangelium non amisimus alicubi lapsi, ita nec Euangelij $\sigma\phi\epsilon\rho\alpha\gamma\iota\delta\alpha$ baptismum. Certum est autem Euangelium non semel tantum, sed iterum atque iterum

DE POENITENTIA FO. LXXXV

remittere peccatum. Quare non minus ad secundam condonationem, quā ad primam baptismus pertinet. Est enim baptismus Euangelij, id est, remissionis peccatorum arrabo & pignus. Matth. xvij. Petrus interrogat, Quoties debeat remittere fratribus, vbi dominus respondet, Septuagies septies condonandum esse. Et. i. Iohan. ij. Sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Et. ij. Corint. ij. Paulus recipi iubet incestum. Est & apud Chrysostomum & citatur ex Clemente Alexandrino Iohannis Apostoli factum, qui iuuenem quendam desertorem ad poenitentiam reuocarit.

Et quia poenitentiam partiti sunt in contritionem, confessionem & satisfactionem. paucis referemus de his nostram sententiam. De contritione satis dictum est, quæ si vera est, mortificatio vetustatis nostræ est, quā ita vocat scriptura, dolor omnino maior, quā quē possit vel æstimare hominis ratio. Tantū abest vt sine opera spiritus sancti, lib. arbitrio cōteramur, seu mortificemur.

Confessio alia est, qua coram deo agnoscimus peccatum, & condemnamus nos ipsos. Ea confessio non aliud nisi illa ipsa mortificatio & vera contritio est, de qua modo dicebam. Atq; huius sæpe scriptura meminit. i. Iohan. i. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra. Et Dauid, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris. Item, Dixi confitebor aduer.

DE POENITENTIA.

sum me iniusticiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Citra hanc confessionem peccatum non condonatur. Rursum non potest non condonari huic confessioni, nempe qua nos ipsos adcuramus & damnamus, deo gloriam veritatis & iusticiæ tribuimus.

Alia confessio est qua nos non domi tantum apud nos, sed & coram alijs accusamus. Hæc quondam in Ecclesia talis erat. Qui criminis alicuius reus erat, primum priuatim a fratre quopiam, deinde coram Ecclesia arguebatur. Atque ibi condonabatur noxa resipiscenti. Expellitur ex Ecclesia is qui Ecclesiam non audiebat. Habes formam huius confessionis Matth. xviii. vbi usus clauium proditus est. Nunc eius exemplum in Ecclesia nullum est, cum ad coercenda vicia non alia ratio commodior esset. Sed successit ei confessio illa, qua priuatim & seorsum apud singulos presbyteros res agitur. Et inter priscam illam confessionem & nostram hoc interest, quod de publicis tantum & manifestis criminibus prisca agebatur, nostra de secretis etiam agitur. Vetusissimus mos fuit, accusari publica crimina coram vniuersa Ecclesia, & totius Ecclesie suffragijs absolui. Is mos iam olim abrogatus est, designatusque vnus aliquis ex numero presbyterorum, coram quo priuatim adcurabantur quanquam publica crimina, is mulctam indicebat flagitiosis pro arbitrio coram Ecclesia, nempe pro publicis criminibus. Nec ad Synaxin admittebantur, nisi qui poena illa publica defuncti erant. Eius exemplum adhuc manet in publicis poenitentijs nostrorum temporum, cum homicidæ in Ecclesia plectuntur. Hanc poenitentiam

DE POENITENTIA FO. LXXXVI
formam describit quisquis est tripartitæ, quam
vocat, historiæ auctor, græcus vt adparet. Atq;
Constantinopoli antiquatam, durare adhuc in
Ecclesijs occidentalibus, estq; ea, cuius sæpe Cy-
prius meminit, Qui cum de publicorum cri-
minum confessione loquitur, tamen indicat eam
toram sacerdote potius, quã vniuersa ecclesia fa-
ctam. Require si libet eius sermonem de lapsis.
Verba græcæ historiæ subiiciam. Visum est an-
tiquis pontificibus, vt velut in theatro, sub testi-
monio Ecclesiastici populi delicta pandantur, &
hac caussa presbyterum bonæ conuersationis, ser-
uantemq; secreti, ac sapientem virum designaue-
runt, ad quem adcedentes hi, qui deliquerant, de-
lictâ propria fatebantur. At ille secundum vnus
cuiusq; culpam, multam indicebat. Quod etiã
hactenus diligenter in occidentalibus seruatur Ec-
clesijs, & maxime Romæ, vbi etiam locus est
certus poenitentium, vbi stant rei, velut ij qui lu-
gent. Porro vbi sacra celebratio impleta fuerit, il-
li cõmunionem non percipientes, cum gemitu &
lamentatione seiplos in terra prosternunt, Ad
quos adcurrentes Episcopus, & ipse cum lachrymis
& gemitu spirituali procumbit, & totius Ecclē-
siæ plebs illachrymatur. Postea primus omnium
consurgit Episcopus, & iacentes erigit e terra.
Tum facta pro poenitentibus oratione, dimittit
omnes. Interim illi se macerant varijs afflictio-
nibus ex sententia Episcopi, Synaxeos tempus,
quod præscribit Episcopus expectant. Quo tem-
pore, velut iam persoluto debito vna Synaxi
cum reliqua Ecclesia participant. Hæc Romani
pontifices ad nostra vsq; tempora obseruauerunt.

DE PŒNITENTIA.

Sed Constantinopoli tantisper presbyter pœnitentibus præfuit, dum mulier quædam primæ nobilitatis post confessionem, in Ecclesia pœnitentiam agens, cum Diacono aliquoties concubisset. Quod vbi palam factum est, aduersus presbyteros coorta plebs est, quod Ecclesiam violassent. Ibi Nectarius Episcopus Diaconum officio deiecit, & veterum pœnitentium morem antiquauit, nullo designato pœnitentibus presbytero, permisitque, vt pro suæ quisque conscientie iudicio, participaret mensæ domini, cum liberet. Hæc fere ad verbum historia tripartita.

Ex his colliges duplicem formam publicæ pœnitentiæ fuisse quondam. Alteram, primæ ecclesiæ, vbi coram vniuersa Ecclesia res gesta est, & vel electi e cõmuntone fidelium flagitiosi, qui resipere volebant, vel absoluti qui resipiebant. Exemplum huius habes. i. Corint. v. Et. ij. Corint. ij. de incesto. Alteram vbi pœna publica est, confessio non item. Cuius exemplum hodie extat in homicidarum pœnitentia. Pœnæ vero non debent iure diuino, sed a traditionibus humanis profectæ sunt, vt postea dicam. Et de hoc genere pœnitentiæ, fere canones veteres loquuntur. Quos ad priuatam detorquent inepte, fatui iuris pontificum professores.

DE PRIVATIS CONFSSIONIBVS.

PRÆTER publicam pœnitentiam, priuatæ confessiones sunt. Primum illæ, cū priuatim recõciamus eos quos offendimus. De quo genere dictum est Matt. v. Si offeras
munus

DE PRI. CON. FO. LXXXVII

munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te &c. vade reconciliare fratri tuo. Et Iacobi vlt. Confitemini alter alteri peccata, id est, alter alterum de precetur offensam &c.

Deinde sunt Ecclesiasticæ illæ, quarum fere vsus hodie est. Eas quondã tales fuisse adparet, vt quorum conscientie angebantur aliqua de re, sanctos & peritos rerum spiritualium consuleret, & ab illis absoluerentur. Huius mentio facta est a Basilio, si titulus non fallit, in opere de institutis monachorum, quod a Ruffino latinitate donatum putant. Et tot quidem genera confessionum mihi comperta sunt, quæ cum alia sint iure diuino tradita, alia hominum inuenta, prudenter discernenda sunt.

Exigi iure diuino confessionem eam quæ deo fit, satis constat, vel ex illa. i. Iohan. i. sententia, quã supra citauimus. Nec, n. remittit peccatũ, nisi confiteamur deo, hoc est, & damnemus nos ipsos, & fidamus misericordia dei condonari noxam.

De confessione publica, publicorum criminum coram ecclesia vbi testibus res geritur, quid attinet disputare? Fateri res ipsa cogit nõ ius tantum diuinum, si adusaueris, cogit item ius diuinum vt fratrem places.

Reliquæ confessiones sunt hominum traditiones. Nam si te vltro Ecclesiæ offeras, & absolui velis, siue clam, siue publice deliqueris, nõ exigit ius diuinum recensionem factorum. Sic Christus absoluit plerosq; , sic Apostoli in Actis absoluunt aliquot milia, nihil postulantes recenseri catalogum peccatorum. Hæc dicuntur in hoc vt imbe-

DE PRIVATIS CON-

cessibus eorum consciencijs consulatur, qui si quid in recensenda confessione præterierint, tantum non desperant.

Absolutio priuata sic necessaria est, vt baptismus. Tametsi enim audias Euangelium cõmuniter vniuersæ Ecclesiæ prædicari, tamen tum demum certus es id ad te proprie pertinere, quom tu priuatim ac proprie absolueris. Non sitit gratiam qui non efflictim cupit audire sententiam de se diuinam. Est enim dei non hominum sententia, qua absolueris, modo absolutioni credas. Quam certa erat mulier peccatrix Luca. vii. culpam omnem sibi condonatum esse, cum audiret Christi vocem. Remittuntur tibi peccata, tam certus esto tu quoq; cum a fratre, quisquis est, absolueris. Neq; vero absoluitur, nisi qui & absolui se optant & credunt, quare non absoluitur ijs, qui coacti pontificia constitutione, quotannis confessionem & pœnitentiam simulant. Immo ludibrio habent Christum, qui adacti lege pontificia non desiderio spiritus, absolutionem petunt.

Satisfactio nulla est præter Christi mortem. Esaia. liij. Ipse iniquitates nostras portauit. Quæ vero nunc pœnitentibus satisfactiones imperantur, hominum inuentum sunt, & ortæ e canonibus pœnitentialibus, qui de publicis quondam pœnitencijs conditi sunt. Hoc satisfactionum cõmento Christi satisfactio, & fides in verbum absolutionis egregie extincta sunt. Sunt quidem in scripturis pœnæ peccatorum alicubi, sed non omnium. Quare satisfactiones eas pœnas nemo recte dixerit. Ex satisfactionibus indulgentiæ, merx Romana, ortæ sunt, quæ remittebant pœnas il-

SSIONIBVS. FO. LXXXVIII

las canonicas publicarum pœnitentiarum. Has impij homines pro diuina condonatione vendi instituerunt, vt suo potius, quam dei verbo fideretur. Porro, vt finiam tandem, pœnitentiæ partes duæ sunt, Mortificatio & viuificatio, Mortificatio fit cum conscientia lege terretur. Viuificatio cum per absolutionem erigeris & confirmaris. Est enim absolutio Euangelium quo Christus tibi condonat noxam. Signum pœnitentiæ aliud non est præter baptismum.

DE PARTICIPATIONE

Mensæ domini.

SIGNVM gratiæ certum est participatio mensæ domini, hoc est, manducare corpus Christi & bibere sanguinem. Sic. n. ait, Hic est calix noui testamenti &c. Item, quoties feceritis, facite in memoriam mei. Id est, cum facitis admoneamini Euangelij, seu remissionis peccatorum. Non est igitur sacrificium, siquidem in hoc est traditum, vt certo admoneat tantum promissum Euangelij. Nec delet peccatum participatio mensæ, sed fides delet, ea vero hoc signo confirmatur. Vt Stephanum non iustificabat cõspectus Christi, cum iam necandus esset, sed fidem eius confirmabat, qua iustificabat & viuificabatur. Ita nec participatio mensæ iustificat, sed fidem confirmat, vt supra dixi. Sunt igitur impiæ Missæ omnes præter eas quibus conscientia ad confirmandam fidem eriguntur. Sacrificium est, cum nos aliquid deo offerimus, at Christum non offerimus deo, sed ipse se semel obtulit, quare qui missas in hoc faciunt, vt ceu bonum aliquod opus faciant,

L vi

DE PARTICIPATIONE

vt deo Christum offerant, pro viuis ac mortuis, vt putent quo sæpius ingeminetur eo melius fieri, impie errant. Et hos errores magna ex parte opinor Thomæ imputandos esse, qui docuit missam prodesse alijs præter eum qui manducat.

Est autem significatio huius sacramenti, confirmare nos toties, quoties labascunt conscientia quoties de dei voluntate erga nos dubitamus. Id cum alias sæpe tum maxime cū moriendum est accidit. Potissimum igitur eo morituri confirmandi sunt. Neq; vero vita Christiana est, nisi assiduo moriamur. Confirmationem, opinor, impositionem manuum esse. Vnctionem arbitror esse eam de qua Marci. vi. Sed ea signa esse tradita, vt certo significant gratiam nō video. Matrimonium nō esse institutum ad significandam gratiam non est quod dubitemus. Quid autem in mentem venit ijs qui inter signa gratia Ordinem numerarunt & cum non aliud sit ordo, quam deligi ex Ecclesia, eos qui doceant, baptizent, mensæ benedicant, & eleemosynas parciantur egenis. Episcopi seu presbyteri dicebantur, qui docebant, lauabant, & benedicebant mensæ. Diaconi, qui eleemosynas partiebantur inter inopes. Neq; sic discretæ horum functiones erant, vt Diacono piaculare esset docere, baptizare, aut benedicere mensæ. Immo hæc omnibus Christianis licent. Nā omnium sunt clauis Matth. xvij. Sed demandabat eorum procuratio quibusdam, vt essent qui sibi rem ecclesiasticam necessario scirent administrandam esse, & ad quos rite referri posset, si quid incidisset.

Et vt hoc obiter moneam, vocabulo Episcopi
aut

aut presbyteri, aut diaconi, non conuenire cum vocabulo sacerdotis. Sacerdos enim a sacrificio in scripturis & interpellando dicitur. Sumusque sacerdotes omnes Christiani, quia sacrificium, hoc est, corpus nostrum offerimus. Nam præter ea nullum est sacrificium in Christianismo, & ius habemus interpellandi dei immo & placandi. Huc pertinet sententia Petri, gens sancta, regnum sacerdotale. Reges enim sumus Christiani, quia liberi per Christum omnium creaturarum, vitæ, mortis, peccati dominamur, vt supra dixi. Sacerdotes quia nos ipsos deo offerimus, & interpellamus pro peccatis nostris. Hæc latius docet Epistola ad Hebr. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, non sunt, nisi qui docent, baptizant, benedicunt mensæ, eleemosynas dispensant. Missarij sacerdotes prophetæ Iezabelis, hoc est, Romæ sunt.

DE CARITATE.

DE PECCATO, lege, gratia, Euangelio, adeoque & iustificatiõe hæctenus, quæ quæstio omnium hominum semper communis fuit, eritque. Qui nam iustificari homo possit. Philosophi & pharisæi docuerunt hominem suis virtutibus & conatibus iustificari. Nos docuimus iustificari sola fide, hoc est, Christi iusticiam nostram iusticiam esse per fidem, opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse. Hæc qui tenet, summam scripturæ tenet, videlicet iustificari credentes MISERICORDIA dei. Postremo res postulat vt de caritate dicamus. Supra monui amorem dei esse fructum fidei. Non potest enim non redamare deum, qui fide misericordiam comprehendit, adeoque amor dei, fidei fructus

DE CARITATE.

est. Ex amore dei nascitur & proximi amor, cum deo in omnibus creaturis seruire cupimus. Et huius quidem amoris ego nullam regulam breuiorem aut aptiorem possum tradere, quã hæc est. Dilige proximum sicut teipsum. Augustinus ordinem diligendorum concepit, vt primũ animas, postea corpora, primum nostros, postea alienos diligamus. Nos fidem caritati semper præferimus. Ergo & ea quæ sunt animæ, corporis necessitatibus fere præferimus. Cæterum alienos, inimicos iuxta atq; amicos diligere Christus iubet Matth. v. & Paulus Roma. xij. Quibus benefacere debeas, cum amicis, tum inimicis facile iudicabit spiritus. Certe Paulus maxime domesticorum rationem haberi voluit ad Galat. & ad Timoth. Nolo enim libertatem spiritus eiusmodi disputationibus vinciri, quales illæ sunt vel sumulariorum, vel Ciceronis in. iij. officiorum, vbi disserit de officio eius, qui ex naufragio in tabulam eandem peruenerit, quã & sapiens quispiam tenuit. Apagesis illas stultas quæstiones quarum exempla nulla facile in res humanas cadunt.

DE MAGISTRATIBVS.

MAXIME necessarius visus est locus de magistratibus, ac primum quidem sequemur vulgarem diuisionem, docendi gratia. Magistratus alios censent ciuiles esse, alios ecclesiasticos. Ciuilis magistratus est qui gladium gerit, & ciuilem pacem tuetur. Hunc probat Paulus Ro. xij. Gladij partes sunt iura ciuilia, ordinationes ciuiles iudiciorũ forensiũ, pœnæ sonitũ. Estq; ius gladij dispensatio legum de nõ occi-

dendo, de nō vindicando &c. Adeo pie admini-
strat gladium magistratus. Item Iuriconsulti, si
de iure respondeant, aut patrocinentur oppressis,
vt maxime peccent, qui litigant. De ferenda autē
gladij potestate sic sentio, Primum si quid contra
deum imperarint principes, non esse obtempe-
randum. Actuum. v. Oportet deo magis obedire
quā hominibus. Exempla huius loci habes innu-
mera, & vel illud pulcherrimum Amos. vij.

Deinde si imperarint, quod est ex utilitatē
publica, obtemperandum est iuxta illud Roma.
xij. Obediendum esse non solum propter iram,
sed & propter conscientiam. Nam caritas nos ob-
stringit ad omnia onera ciuilia.

Postremo, si qd imperent tyrannice, hic quoq;
ferendus est magistratus, propter caritatem, vbi
sine publico motu, sine seditione nihil mutari po-
test. Iuxta illud, Qui percusserit te in dextram,
obuerte ei & sinistram.

Quod si citra scandalum, citra publicum mo-
tum elabi possis, elabere, vt si coniectus sis in car-
cerem nihil mali meritis, & effringere possis, si-
ne publico motu, nil vetat fugere. Iuxta illud, pri-
mæ Corint. vij. Si potes liber fieri magis vtere.

De Ecclesiasticis magistratibus sic censemus,
Primum ministros esse Episcopos, non potesta-
tes aut magistratus. Deinde nō habere ius Episco-
pos condendi leges, vt quibus mandatum sit præ-
dicare verbum dei tantum, non hominum, vt su-
pra diximus. Et ex Hierē. xxij. satis adparet.

Primū ergo si doceant scripturam, sic audiendi
sunt vt Christus. Iuxta illud, Qui vos audit, me
audit. Nā ad scripturā, nō ad traditiones humanas

DE MAGISTRATIBVS.

pertinet. vt patet, cum inquit, Qui prophetam nomine prophetæ receperit, nō pseudoprophetā.

II Deinde si quid contra scripturam docuerint, nō sunt audiendi. Act. v. Oportet deo magis obedire quā hominibus. Et Matth. xv. Irritū fecistis mandatū dei propter traditionē vestrā. Contra ius diuinū decretum est a Papa hoc tempore in Bulla qua Lutherus damnatus est, hic neutiquā audiendus est.

III Tertio si quid præter scripturam statuerint, in hoc, vt conscientias obstringant, non sunt audiendi. Nihil. n. conscientiā obligat nisi ius diuinum. De his loquebat Paulus. i. Timoth. iij. vbi doctrinas dæmoniorū vocat, legem de cœlibatu de cibis interdictis, quæ quanquā non videantur aduersari scripturæ, vt quæ per sese nō sint mala. Malus. n. cœlibatus non est. Abstinerere carnibus malum nō est. Sed impia hæc sunt, si peccare te putes vbi diuersum feceris. Impia docent, qui censent peccare eū, qui horas canonicas non legerit, qui carnē ederit die sexta aut septima &c. Non. n. potest Episcopus Christianam conscientiam vincire. ij. Corinth. vltimo, Data est nobis potestas non in destructionem, sed ædificationem.

III Quarto, si nō oneres conscientiam Episcopi lege, sed pro onere externo interpreteris, vt solēt spirituales & ij qui intelligunt conscientiā vinciri nulla lege humana posse. Sic iudicabis de lege Episcopi, vt de tyrannide magistratus ciuilis. Quidquid. n. Episcopi præter scripturā imperāt, tyrannis est. Nā imperandi ius nō habent. Feres ea onera propter caritatē, iuxta illud, Qui te percusserit in dextrā, obuerte & sinistram. Porro, si

sine scandalo possis diuersum facere, nihil vetat. Ut si sine motu publico possis effringere carcerē, in quo a tyranno vinctus teneris, nihil vetat. Iuxta illud, Si potes liber fieri, magis vtere. Et Christus dispensauit de traditionib. pharisaicis. Matt. ix. & xij. De legibus autē ciuilibus non dispensauit. Et pharisaicis legibus dispensandis liberiores sumus, vt quæ & priuatim singulorū magis, quā cōmunia onera sint, & cōscientiā facile illaqueēt. Sunt autē omniū legum humanarū & regula & dispensatio, fides & caritas adeoq; & necessitas. Hæc liberat ab omnibus traditionibus, sicubi vel anima vel corporis vita per traditionē adducta fuerit in discrimen.

DE SCANDALO.

QUÆRIS autem quatenus habenda sit scandali ratio? Primū omniū moneo, quod & antea, fidem & caritatē regulas esse omnium functionum humanarū, sed in his fides potior est.

Est autē scandalum offensio, qua in proximo aut fides aut caritas læditur. Fides vt si quid a sacris literis doceatur diuersum, fides proximi offendit. Huiusmodi scandalū tota doctrina scholastica est, quæ satisfactiones, quæ opera liberi arbitrii probans obscurauit gratiā. De hoc genere Christus loquit Matt. xvij. Qui scandalizauerit vnū de pusillis istis qui in me credunt, satius fuerat eū mola asinaria de collo suspēsa demersum esse &c. Caritas lædit si quis egentē non adiuuet, interturbet publicam pacem. De hoc genere Christus loquit Matth. xvij. de tributo persoluendo, ne scandalizemus eos.

DE SCANDALO.

- I** In ijs quæ exigunt iure diuino, nullo respectu scandalî, iure diuino obtemperandû est, faciendû & docendû, quod exigitur iure diuino. Semper. n. fides caritati præferenda est. Atq; huc iterû facit quod est in Actis. v. Oportet deo magis obedire quã hominibus. Et Christus inquit, Nõ veni pacem mittere sed gladiû. Sic Daniel nõ obtemperabat legi de statua aurea adoranda. Nec nos pareamus impijs principibus damnãtibus Euan gelium hoc tempore.
- II** In ijs quæ sunt iuris humani & media, vt cœ libatus, abstinere a carnibus, nõ obligat traditio humana in casu necessitatis. Nam & Christus de diuina lege, in casu necessitatis dispensat. Matth. xi. discipulis spicas vellentibus. Quanto magis licet hominû traditiones, si necessitas vitæ postulet, violare. Multo magis violare liceat, si periclitet anima, vt si vras sacerdos, vt vocant. Iuxta illud. ij. Corint. vlt. Data est nobis potestas in ædificationem nõ in destructionem. Paulus ad Coloss. ij. damnat leges quæ corpus immodice onerant.
- III** In ijs quæ media sunt, satis est docuisse, qd nec peccent, qui violant eiusmodi traditiones, nec pietas sit, obseruasse. qualia sunt, carnẽ edere, vel nõ edere, vestire rubro aut nigro &c. Et quia sine aliquo animarû periculo seruari possunt, seruentur propter imperitos & ignorantes libertatis, tanquã aliæ obseruationes politicæ. Nemo pietatem in eo ponit, qd adsurgat seniori, neq; rursus peccari, si ille forte fortuna præteriens, a nobis nõ fuerit conspectus. Pro eiusmodi humanis ordinationibus, seu elementis mundi, habeantur & pontificiæ leges, quas ordinationes, qui ex contemptu

DE SCANDALO FO. XCII

violat, peccat. Sunt. n. creaturæ dei bonæ, publi-
ci mores, quibus nihil peccatur. Notum autē est
illud Apostoli, neq; abundare edentē, neq; egere
abstinentem. Et regnū dei non esse in cibo & po-
tu, sed iusticiā, pacem, & gaudiū in spiritu sancto.
Et in Coloss. non damnauit elementa mundi, tan-
tum non voluit nos *δογματίζεσθαι*, id est, consci-
entis vexari, propter huiusmodi mores.

Nunc videmus quantum concilient inuidiæ
Euangelio, qui libertate abutūtur, ad quos Euan-
geliū prorsus nihil pertinet. Sues. n. sunt, quibus
non sunt obijciendæ margaritæ. Impiū homines,
qui cibo fratrem perdunt, pro quo Christus mor-
tuus est. Itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ
ædificationis sunt inuicem custodiamus. At quid
ædificent, qui Euangelica libertate ad suam tan-
tum libidinem abutuntur.

Habes rerum theologicarum cōmunissimos lo-
cos, quorū exactiorem rationem e scripturis pe-
te, nos contenti sumus indicasse quid obserues.
Adeoque mecum etiā bene actū puto, q̄ tenuius
res tantas, quā debui, tractaui. ne quē infœlici di-
ligentiā a scripturis ad meas disputationes auoca-
rem. Censeo. n. non aliter atq; pestem fugiendos
hominū cōmentarios in rebus sacris. Quod do-
ctrina spiritus pure, nisi e scripturis hauriri non
possit. Quis enim spiritum dei propius expresse-
rit, quam ipse sese?

Οὐκ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ
θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει


29938



AC

8232

Vog 2738

(X2206312)





THEOLOGICAE
HYPOTYPOSES.

RECOGNITAE AB
AVCTORE.

VVITTEMBERGAE.

Prima editio ab auctore recognita.
XVII, 456. (1522) *Peethe*

